# GODOFR. LENGNICH. D.

COMMENTATIO SUCCINCTA

De

# NORMA REGIMINIS,

Quae

SUB IMPERIO

*SERENISSIMORUM*

POLONIÆ REGUM

PRUSSIÆ,

Ex

Præſcripto Jurium, ut vocant, fundamentalium competit.

---

*GEDANI,*

Typis, JOHANNIS DANIELIS STOLLII, Senatûs & Athenæi Typographi. 1722.

Digitized by Google

Tacitus Annal. I. 3. 4.

*Domi Res tranquillæ. Eadem Magiſtratuum vocabula. Juniores, etiam ſenes plerique, inter bella civium nati. Quotusquisq; reliquus, qui Rempublicam vidiſſet? Igitur verſo Civitatis ſtatu, nihil usquam priſci & integri moris. Pauci bona libertatis incasſum disſerere, plures paveſcere, alii cupere.*

# Lectori S.

CUm Hiſtoriam Pruſſicam, coeptam a Caſp. Schützio, ad obitum Regis Sigismundi I. deducerem, e re viſum eſt, ſingularem Tractationem, in qua Regimen Prutenicum, ad Normam Jurium, vulgo fundamentalium, expenderem, operi praemittere. Placuit labor iſte, quamvis exiguus, Jis, Quorum Juſſu & Auſpiciis Hiſtoriae Patriae calamum admovi, Auctoresque fuerunt, ut quod patrio ſermone tradidi, latino iterum deſcriberem. Parui lubens, quod

)( 2 ſcirem

Digitized by Google

ſcirem, Reipublicæ intereſſe, ut, quæ pro adſerenda Patriae libertate congeſſi, ab illis legantur, qui germanicum idioma haud callent. Ea enim eſt gentis noſtrae calamitas, ut avita Jura ab Iis oppugnentur, qvi eadem ignorant, nec qvo ſibi innoteſcerent, unquam dederunt operam. Hinc qui libertati noſtrae vim inferunt, ſuos mores peregrinasque leges allegant, parum curioſi, quid Patriae Juribus liceat, quid ſecus. Non enim ad eas anguſtias redacti fuere Pruteni, ut collato in D. Caſimirum ſummo Imperio, Polonorum legibus ſummittere ſe, neceſſum habuerint. Libera Gens, Domino deſtituta, Polonorum Regem, non Populum Polonum, Dominum ſibi praefecit, ut ſcilicet, ad leges, quas peculiares ſervavit, regeretur: ad

has

Digitized by Google

has exigi debet, ſi quid in Prutenis ſtatuendum, has qui neglexerit, iniquus merito habendus. At invaluit, quae ſumma Patriae infelicitas, error, Pruſſiam, in caeterorum Palatinatuum formam eſſe redactam, ſingularemque deſiiſſe Rempublicam, ex quo Polonico Regno acceſſerit. Itane Majores noſtri, incaſſum cum D. Caſimiro pacti? ideone excuſſo Marianorum Equitum Jugo, opes vitamque fuderunt, ut tandem Populo extraneo ſervirent? Alia ſane mens Prutenis fuit, Regi ſubeſſe, ſed qui ad normam legum imperaret, voluerunt. In hoc Commentatio noſtra abſolvitur, ſimul, mutatæ conditionis triſtis Epocha indigitatur. Faxit ſummum Numen, ut Regni Poloniae Proceres, ſi forte Diſſertatio in Eorum manus inciderit,



Digitized by Google

rit, Jurium autoritate moti, Prutenis tandem aequiores fiant, Gentemque ſuis legibus vivere ſinant, quam non arma, non vis, neq; ſumma neceſſitas, ſed voluntas, ſed amor, ſed ſingularis qvaedam propenſio ad ineundam arctam cum Polonis ſocietatem impulere. Scribebam Gedani, die XXIV. Julii, M. D. CC. XXII.

ORDO

Digitized by Google

# ORDO DICENDORUM.

§. 1.

PRuſſiæ non prout libuit impe-ritatum. §. 2. Provincia no-ſtra jure optimo, impotenti dominatui Crucigerorum ſe ſubducere, extraneoque Principi deferre imperium potuit §. 3. Abrogato Crucigeris imperio, Pruthenis libertas reſtituta eſt. §. 4. Inde penes ipſos ſtabat, aut aliquem ex ſuis ſibi præficere, aut aleunde petere, qui cum imperio præeſſet. §. 5. Delatum ſibi Regimen Polonorum Rex ſuſcepit. §. 6. quod tamen certis ſub conditionibus factum. §. 7. his Pruthena libertas innititur, de qua in Diſſertatione noſtra agendum. §. 8. 9. Fundamenti loco ponitur, Pruſſiam peculiarem conſtituere Rempublicam, ac præter Regem, certumq; fœdus cum Polonis, nihil habere commune, quod tum vocatis ad partes teſtimoniis, tum allatis rationibus demonſtratur. §. 10. 11. binæ objectiones, ex Privilegio Incorporationis, & hodierna obſervantia petitæ, removentur. §. 12. De Jure, quo in electionibus coronationibusque Regum Poloniæ, Prutheni gaudent. §. 13. De more, ad quem ſe Majores noſtri in Comitiis Electionis & Coronationis componebant. §. 14. De ſuffragiis in Regum electionibus. §. 15. Reges peracta coronatione, Pruthenis privilegia ſua firmare, eorundemq; obſervationem, dicto peculiari ſacramento, ſpondere ſolebant. §. 16. quo facto, Pruthenorum erat, fidem ſuam juramento obſtringere §. 17. Norma Regiminis Regi haud quicquam de rebus quæ Provinciam noſtram afficiunt, ſine ordinum conſenſu ſtatuere licet. §. 18. quod olim ſub Equitum Teutonicorum imperio ſervatum meminimus. §. 19. Suſcepto a Caſimiro Regimine novum Terrarum Pruſſiæ inſtituitur Conſilium. §. 20. Conſiliarii, ut ſint indigenæ, oportet. §. 21. a Rege creantur. De eorum ſacramento. §. 22 De Præſide. Epiſcoporum Legati, quem locum inter Conſiliarios occupent. §. 23. De iis qui interdum extra ordinem Conſiliariis aſſidere ſolebant. De Legatis trium majorum Civitatum. §. 24. Non Regni Poloniæ, ſed Terrarum Pruſſiæ Conſiliarii, noſtri dici volebant. §. 25. Hactenus deprimi, jam de ſecundi ordinis Statibus. Huc ſpectant equeſtris ordo, ac minores civitates. §. 27. Tum vocati ſi de rebus arduis agendum. §. 28 Minores civitates hodie omnibus conſiliis motæ. Ipſis injuriam factam oſtenditur. §. 29. De publicis conventibus, quorum origo a



Digitized by Google

temporibus Crucigerorum repetenda. §. 30 Ordines ſua autoritate indicere conventus poterant. Quid Sigismundus I. definiverit. §. 31. Initium conventuum ordinariorum. Unde diviſio in ordinarios & extraordinarios nata eſt. §. 32. De Regiis Legatis quomodo in conventibus excepti auditique. §. 33. Quid notandum, ſi ſecundi ordinis Status ad publicum Conventum vocandi. §. 34. De modo, quo iis Regia voluntas indicabatur. §. 35. De ſuffragiis ad Regiam legationem. §. 36. præter quam, & de aliis Reipublicæ commodis incommodisve agi ſolebat. De modo dimittendi Regios Oratores. §. 37. Quod ſi Rex Litteras ad Conventum miſerit, aut nihil ejus nomine delatum fuerit, quid tum actum ab Ordinibus. §. 38. Quæritur: Num olim Pruſſiæ Ordines Poloniæ accenſiti, nexusq; aliquis inter Provinciæ conventus & Regni Comitia fuerit. Pruthenorum judicium. Polonorum molimina, Pruthenos cum Regnicolis confundere, quibus a noſtratibus obviam itum eſt. §. 39. Pruſſiæ Conſiliarios, Senatui Polonico, ſalvis juribus, haud accenſendos oſtenditur. §. 40. Tollitur objectio quaſi noſtrates, antequam Sigismundus Auguſtus imperaret, Regni Comitia frequentaſſent. §. 41. verum conſtare, autoritate Decreti Lublinenſis, potiorem partem Conſilii Pruthenici, Senatui Polonico junctam coactosque noſtrates, ut ſingulis Regni Comitiis interſint. §. 42. Sequuntur cauſæ notabiles non niſi cum Ordinibus tractandæ. §. 43. De Poteſtate indicendi gerendique bella. §. 44. Tributa non niſi Ordinum conſenſu imperanda. §. 45. Pruthenos ad præſtandam Regno Poloniæ opem, ſive milite ſive nummis, haud obligatos eſſe, evincitur. §. 46. Ad objectionem, ex Reciproca Sponſione allatam, reſpondetur. §. 47. De Ordinum conſenſu, qui in pangenda pace requiritur. §. 48. Nec poteſtatem legislatoriam ſine iis unquam Reges exercuere. §. 49. De Inſtantiis Appellationum. §. 50. Quid in conferendis dignitatibus, ratione Juris Indigenatus obſervari fas ſit. §. 51. Voces indigenæ & extranei ad normam Legum definiuntur. §. 52. In ſubſidium vocantur Regum Poloniæ teſtimonia. §. 53. allata in contrarium ſenſum Polonorum argumenta confutantur. §. 54. Querela de infracto toties Indigenatus Privilegio. §. 55. De Jure monetam cudendi. §. 56. Jure vectigalia exigendi, Suo Sereniſſimorumq; Succeſſorum nomine, ſponte ceſſit D. Caſimirus. §. 57. quod & de minuendis Provinciæ ditionibus intelligendum. §. 58. Concluſio.

§. I. Pruſ-

Digitized by Google

## §. I.

PRuſſia non ex arbitrio, ſed legibus regi aſſvevit. Ex quo enim Ordo Teutonicus novo Imperio ſedem fixit, Placita perſcripſit, quibus Ipſe obtemperaret. Hæc Libertas Provinciæ dicebantur, quæ in dies aucta, eo tendebant, quo lubido Imperantium coërceretur, ſciretqûe Populus, quid Dominis, quid ſibi deberet. Non eſt animus, Normam Regiminis, quæ ſub Crucigeris inolevit, recenſere, ſecus, quod tribus, ut loqvuntur, ſyllabis innui, amplo egreſſu memoraſſem; dixi aliquid, ne ſequentia nexu ſuo deſtituerentur.

*Pruſſia non, prout libuit, imperitarum.*

## § II.

Quod ſi enim conſtat, Ordinem Teutonicum ad præſcriptam normam, metiri opertuiſſe poteſtatem, ſequitur, Pruthenos potuiſſe exuere obſequium, ſimulac antiqui Domini, ſuarum legum auctores iidem ac everſores, omnia pro lubitu

*Provincia noſtra Jure optimo impotenti Crucigerorum Dominatui ſe ſubdu-*

*ducere, extraneoque Princip[i] deferre imperium potuit.*

bitu agere cœperunt, quod exin non mos nonjus, deterrima quæque impune, ac multa honeſta exitio fuere. Populus vero qui jure optimo Tyrannidem excuſſit, in libertatem ſe aſſerit, ſtatque tum penes ipſum vindicatam ſibi poteſtatem, ad unum, duos, aut plures, ſive cives ſive extranei fuerint, conferre, eaque a novo Principe exigere, quæ Patriæ ſaluti ejusque incremento conſentanea videntur.

§. III.

*Abrogato Crucigeris Imperio, Pruthenis libertas reſtituta eſt.*

Hæc Gentis Pruthenæ, excuſſo Crucigerorum Jugo, condicio. Primis enim Dominis abrogatum Imperium. Nec Germanorum Cæſari jus aliquod competebat, cujus nullum ante Seceſſionem extiterat veſtigium; quod alio tempore & loco monui. Idem de Polonis decendum. Scio equidem vulgo aſſeri: Pruſſiam ante Equitum Teutonicorum adventum, in Polonorum ditione fuiſſe, Eosdemque Jus ſuum retinuiſſe, licet Imperium ad alios tranſiiſſet, reverſamque quaſi poſtliminio ad antiquos Dominos Provinciam, cum ſe ſponte, poteſtati Caſimiri IV. ſubderet. Habent Lectores, ut cætera omittam, exemplum in Comitiis Coronationis Sigismundi Auguſti a. 1530. factæ; & in Coronatione Henrici prodibat ſcriptum, ex quo ſequentia huc ſpectant capita: *Quod Terræ Pruſſiæ, Culmenſis, Michaloviensis &*

*Pome-*

*Pomerania locatæ ſint a Polonis, & ab iisdem, civitatibus, montibus, fluviis & locis nomina impoſita, etiam priusquam Ordo Cruciferorum eſſet in rerum natura; quod Terras prædictas primus Parens & Princeps Polonorum Lechus, & ſui Nepotes in plurimas ætates poſſederint, & terræ prædictæ ſemper fuerint ſub Monarchia Polonica; quod Reges & Principes Poloniæ poſſederint terras prædictas usque ad ea tempora, quando Cruciferi contra Infideles a Conrado Duce Maſoviæ evocati fuerant.* Refellit fabulam Hiſtoria, & licet vera eſſent, quæ vulgo narrantur, nihilominus Jura, ſi quæ habuerint in Provinciam Poloni, pace inter Vladislaum Jagyellonidem & Cruciferos an. 1436. facta, expirarunt.

## §. IV.

*Inde penes ipſos ſtabat aut aliquem ex ſuis ſibi præficere, aut aleunde petere qui cum imperio præeſſet.*

Hoc rerum ſtatu, erat in arbitrio Pruthenorum, vel peculiarem condere Rempublicam, quam cives regerent, vel ſummam rerum extraneo Principi ſubmittere. Nec prius diſplicuiſſe videtur, verum viribus diffiſis, ac impares ſe Crucigeris credentibus, tutiora eligere placuit. Scindebantur aliquantisper inter Reges Daniæ, Poloniæ & Bohemiæ ſtudia, donec omnes in Polonum conſentirent, quod Gens finitima, vetus odium in Ordinem Teutonicum, etiam poſt confectam pacem, inter præcordia tacite aleret. Notandum tamen,

tamen, Poruſſos ad Regem Bohemiæ ſervaſſe ſibi aditum, ſi quando Caſimirus IV. delatum regimen aut reſpueret, aut aliis, quam inter Ordines conventum erat modis, adire mallet.

## §. V.

*Delatum ſibi Regimen Polonorum Rex ſuſcipit.*

Miſſi ergo Cracoviam Oratores, qui perficerent, in quæ univerſi conſenſerant. Jam aliquot dies præterlapſi, nec certi quid ex aula Regia reſciscere licebat: impatientes moræ Legati, cogitare ſe Bohemiam, ingreſſurosque propediem iter, niſi de voluntate Regiæ Majeſtatis conſtiterit, palam loquebantur. Libera vox tentatum hactenus opus, abſolvit, flexitque Caſimirum, ut, cum Legatorum poſtulatis annuiſſet, Imperium ſuſciperet. Non leve hoc argumentum, Polonos, eo tempore, Jus ſuum, quod vulgo prætendunt, in Pruſſiam ignoraſſe, etſi in Pacto Deditionis (†) contrarium legatur: errandi procul dubio anſam dederunt ipſi Legati, (††) ignari, illud, quod tum temporis pro adeundo Regimine allegabant, olim in ruinam Libertatis Patriæ verſum iri, petiturosque inde, qui Pruthenis ſua invident, quibus injuriam ſuffulciant.

§. VI.

(†) Hoc nomine indigito Privilegium quod Incorporationis vulgo dicitur.

(††) In Oratione ad Regem Caſimirum habita. vid. Schütz. Chron. L. V. f. 198. 199. edit. an. 1599. Dlugoſſus veris falſa miſcet, plura ſilentio tranſmittit.

§. VI.

Ita Poruſſi in poteſtatem Regis Poloniæ certis ſub conditionibus venerunt. Singulæ in Privilegio, Incorporationis vulgo dicto, exprimuntur, quod, ſi rem nomine ſuo appellare velis, improprie Privilegium audit, cum pactum ſit, de quo antequam capeſſeret imperium, inter Regem & Pruthenos convenit. Patet ex eodem, quibus modis regi voluerint Pruthení. Modi hi formam Regiminis Pruthenici abſolvunt, de qua ut fuſius agam, accingor.

*Quod tamen certis ſub conditionibus factum.*

§. VII.

Dignus labor qui rite ſuſcipiatur, cum etiam memoria antiquorum Jurium obliterata videatur. Plerique Extraneorum, Provinciam noſtram, veluti in tres Palatinatus diviſam regionem, quæ a reliqua Polonia nomine tantum differat, contemplantur. Errant bona fide, quoniam mediis deſtituuntur quibus de veritate edoceantur, exteriorque ſpecies ac alia quæ olim & noſtris diebus accidere, animum in errore obfirmant. Nec Poloni recto tramite incedunt, & licet nonnulli veritatem videant, ſunt tamen qui affectu abrepti, in id unice incumbunt, ut Regibus nobis cæteroquin longe Indulgentiſſimis perſvadeant: *Nihil ſibi peculiare Pruthenos, ſed omnia cum Polonis communia habere; Provinciam Regno ita inviſceratam eſſe,*

*His Pruthena Libertas innititur, de qua in Diſſertatione noſtra agendum.*

ut

*ut quæ placuerint, leges ſine murmure accipere teneantur.* Et illi, qui nobiſcum ſub eodem cœlo nati, licet fando perceperint, eſſe Pruthenis ſua Jura, ſuam libertatem, veram tamen ejus conditionem plerique ignorant. Hinc evenit, ut, quoties avita Privilegia verbis impetantur, noſtrates eadem non ut decebat, propugnent, ſi vero factis enerventur, ſileant, quoniam prima ſpecie nec libertati contraria nec Patriæ damnoſa videntur, & tum demum de injuria querantur, quando civium crumenæ ſentiunt, connivendo eſſe peccatum. Habes cauſas, Lector, quæ me ad Commentationem hanc impulerint.

§. VIII.

*Fundamenti loco ponitur: Pruſſiam peculiarem conſtituere Rempublicam ac præter Regem certumque fœdus nihil cum Polonia habere commune, quod (1.) tum vocatis ad partes teſtimoniis.*

Principii inſtar, ex quo cætera deducam, pono, Pruſſiam, cui Sereniſſimi Reges Poloniæ imperant, cum Polonis præter Regem nil commune habere, & cum Regno perpetuo fœdere conjunctam eſſe, cæterum peculiarem conſtituere Rempublicam. Hæc conſtans opinio Majorum: hoc clipeo tuti, adverſariorum tela ſine vulnere excipiebant. Refert Schützius (†) dignum Poſteritate teſtimonium. *Incorporatam eſſe provinciam Regno,* ajebat Palatinus tum temporis Mariæburgenſis, Nic. Bayſenius, *hoc ita interpretamur: habere ſua Jura*

(†) L. IX. f. 386.

*Jura Poloniam, habere ſuas immunitates Pruſſiam, ita ut ſuis Poloni, ſuis itidem Pruteni vivant legibus, ne tamen a fœdere, quo innexi, reſideant.* Eadem, licet prolixius, qui Coronationi Henrici, ex Pruſſia intererant, locuti: *Majores noſtri*, verba, prout occurrunt, pono, *ad inclitum hoc Poloniæ Regnum acceſſerunt, certis interpoſitis pactis & conditionibus, ut Regno quidem Poloniæ incorporati & uniti, peculiarem tamen & ſeparatam Rempublicam haberent, ſuis juribus & conſuetudinibus, cum quibus ad hoc Poloniæ Regnum acceſſerunt, libere & ſine alicujus impedimento uterentur. A Republica enim Polona eos diſcrevit lingva, ſejunxerunt mores, jura, conſuetudines & multa alia, quæ ipſis cum gente Polona, non fuerunt communia. Ob quam cauſam, peculiares quoque conſtituti in iis terris Conſiliarii & Magiſtratus, veri terrarum illarum Indigenæ, qui propter lingvam, mores, & in illis terris obſervatas conſuetudines, populo Pruthenico Jus dicerent, illumque tanto commodius in officio continerent, ac id in univerſum agerent, ſtatuerent & decernerent, quæ uſus & neceſſitas earum terrarum Pruſſiæ, quocunque modo, tempore & loco, tam in judicialibus quam extrajudicialibus cauſis, exigere videbatur. In qua peculiari, a Regno prorſus ſeparata Republica, Majores noſtri & nos quoque, ſupra hominum memoriam, usque ad hæc tempora, pacifice & ſine ullius hominis interpellatione*

 *vixi-*

*viximus - - - - Inde peculiaria Terrarum Pruſſiæ privilegia, Jura, Inſignia, peculiares Conſvetudines, Conſtitutiones, limites, peculiare quoque ſigillum & Juramentum, multaque alia, quæ hic brevitatis ſtudio omittenda eſſe duximus. Eam igitur, quam diximus, ſeparatam & ſuis propriis notis ac ſignis diſtinctam Rempublicam, nobis Majores noſtri, per manus tradiderunt, quam nos etiam ad hæc usque tempora, ſupra centum & aliquot annorum ſpatium pacifice & quiete retinuimus.* Idem repetitum, quoties neceſſitas exigeret, libertatem Prutenicam ex ſuis principiis deducere. Singula referre, ne nimis verboſus videar, ſuperſedeo, imprimis cum metuendum, ne latis in propria cauſa teſtimoniis (†) adverſarii fidem ſubtrahant.

§. IX.

(†) Nec ex Polonis deſunt qui genti noſtræ patrocinantur. Extat Oratio Johannis Tarnovii, Caſtellani Cracovienſis, quam habuit, cum Regni Ordines a Rege Sigismundo Auguſto poſtularent, ut Promiſſis Divi Parentis ſtaret, & Litvaniam, Pruſſiam, ditionesque quæ olim ad Sileſiam pertinuerant, ita Poloniæ jungeret, ut, ſublatis, quæ ſingulis peculiares erant, legibus, Populi hactenus diverſi unam cum Polona gentem conſtituerent. Spectant huc ſequentia: „Quantum vero ad conditiones Regi præſcriptas attinet, illas ego interpretandas ita cenſeo, ut expedit Reipublicæ. „Quod ut expleat Rex, opus illi eſt idoneo ad agendum tempore, neque ſubito coëunt Regna ac in unum quaſi corpus „redacta coaleſcunt. Opus ad eam rem eſt & tempore & „actione, non minus accurata quam longa. Agendi prius

ſunt

## §. IX.

Ad rationes progredior, quibus ſententiam Majorum ſuffulcio. Nemo diffitebitur, credo, duas pluresque inter ſe diſtinctas gentes, ſub eodem Principe, diverſis modis regi poſſe. Burgundi ſuis legibus vivebant, licet in poteſtatem Domus Auſtriacæ veniſſent. Catalauni ſub Regibus Hiſpaniæ usque ad noſtram ætatem, avita Jura ſarta tectaque conſervarunt, donec paucis abhinc annis, iisdem excidere. Retinebant Hiſpani patrios mores, ſub Imperio Philippi Auſtriaci, & qui eum excepit, Caroli. Idem Hungaris & Bohemis per aliquod tempus datum eſt, cum extraneis Dominis parerent. Quid? ipſi Poloni, quamvis

(2.) *Tum rationibus demonſtratur.*



„ ſunt Conventus, vocandi Litvani, conveniendi ſunt Pruteni, accerſendi Zatorii, denique orandi, monendi, ac omni ratione ad id omnes ſunt appellandi, ut conſentire ad communem ſalutem cum Polonis velint, ad idem eſſe gente atque lege cum illis. Quæ res neque unius diei eſt, neque unius actionis, neque hujus noſtræ ſeſſionis, ut tantæ res dicto citius, a Rege confici queant - - - - Libera enim Litvania eſt, habet ſuas leges Pruſſia, Zatoria etiam jure atque more vivit ſuo. Quæ gentes cum Imperiis atque Magiſtratibus, & a nobis & inter ſe, diſtingvantur, ac ita juratum, ut & nos, ad ſuas leges Auguſtum Regem habeant, non poſſunt ad id inviti cogi, ut depoſitis patriis moribus ac legibus, ad noſtras leges moresque ſe ſe redigant, gratia id ab illis & precibus, non terrore neque minis impetrandum eſt. „ vid. Oricho. Annal. 2. Quid Cromerus ſenſerit, ex ejus Libro de Situ Polon. infra adducam.

vis ex Litvania Regem peterent, non tamen portio Litvaniæ fieri, ſed ſeorſim regi volebant. Nec alia mens Pruthenis fuit. Eorum lingva, mores, amictus, vivendi modus, cæteraque ſatis indicant, nil gentem noſtram cum Polonis habuiſſe commune. Et licet qui ruri habitant, cum veſtimentis, Polonorum induiſſe conſvetudines videantur, civitates tamen, nonnullique pagi hodienum teſtantur, quæ olim Incolarum fuerit conditio. Tantum abeſt, voluiſſe poſt defectionem, cum Dominis naturam mutare, fierique ex Germanis Polonos, ut potius omnia quæ his propria, lingvamque ipſam averſarentur. Conſtat enim Imperante jam Sigismundo I. opus habuiſſe Ordines interprete, ſi quando Regius Orator, in Comitiis cum iis lingua Polonica ageret, ut ſilentio transmittam, exempla legationum ſub ſequentibus Regibus, latine conſcripta, exhiberi oportuiſſe. Reges etiam, ob negotia quæ cum Pruthenis intercedebant, adſciviſſe ſibi olim ſcribas germanice callentes, ſcimus. Normam Regiminis quod attinet, a Polonorum plane diverſa eſt, quod ex pacto Deditionis abunde patet, & ſuo loco pluribus evincam. Concludo ergo: Gentem, quæ nequaquam cum alia confundi voluit, ſuisque legibus regitur, peculiarem conſtituere Rempublicam. Prius nemo, qui Commentationem noſtram perlegerit, de Prutenis

tenis diffitebitur, ergo & poſterius concedendum erit.

## §. X.

Sed ipſum Pactum deditionis obſtare videtur. Ait D. Caſimirus: „ Se Terras Pruſſiæ & Domi- „ nia, Regno Poloniæ reintegrare, reunire, invis- „ cerare & incorporare. „ Inde omnimoda conjunctio, Prutenorum cum Polonis, legibus quæ illis ſemper peculiares fuere, abrogatis, colligi ſolet. Occurrit exemplum ſub anno 1530, ſequentibus temporibus, plura inveniuntur. Verum laborat ratiocinatio, quæ voculis nititur, de quarum genuino ſenſu non ſatis conſtat; ſæpe enim una eademque vox, diverſas indigitat res, variasque ſortitur explicationes. Meminit Caſimirus *inviſcerationis* & *incorporationis*. Ergo quæritur quænam intelligenda *inviſceratio*, quænam *incorporatio?* non enim una *inviſcerationum* ſpecies. Ipſe laudatus Rex, qui cum Pruthenis pactus eſt, omnem eximet ſcrupulum. Hic, poſtquam de incorporatione, interjectis quibusdam, locutus, pergit: *Promittentes pro Nobis, Hæredibus & Succeſſoribus noſtris, quod præfatos Prælatos, Spirituales & Seculares, ac Sacras ædes & Eccleſias, Barones, Nobiles ac Cives,*

*Bina Objectiones, ex Privilegio Incorporationis.*



Digitized by Google

*ves, atque ſingulos incolas Terrarum noſtrarum Pruſſiæ, in Juribus, libertatibus, literis, Privilegiis, munimentis eorum, quæ a Principibus ſpiritualibus & ſecularibus, Regibus & Dominis Terrarum prædictarum obtinent, conſervabimus, fovebimus & defendemus, nec unquam ea violabimus aut prævaricabimur, aut violari vel prævaricari quomodolibet, permittemus.* His præmiſſis, recenſentur a Rege ea Jura, quæ Genti Pruthenæ æternum propria eſſe debeant. Inde ſequitur, Provinciam, ſalvis Privilegiis, Regno Poloniæ *inviſceratam incorporatamque* eſſe. Hoc præ oculis habuit, quem §. 8. ad partes vocavi, Palatinus Mariæburgenſis. Idem teſtantur ſequentia, ex ſingulari ſcripto, quod olim Pruteni Regi Henrico exhibuerunt, allata verba: *Noſtra Privilegia*, loqvuntur Pruteni, *quibus a centum & eo amplius annis, Regno Poloniæ incoporati, inviſcerati & uniti ſumus, teſtimonio ſunt eruntque ſempiterno, non compulſos armis fuiſſe nos ad ſuſcipiendam cum hoc clariſſimo Regno Societatem, ſed certa & ſumma quadam cum Polonis charitate & amore, ut ſempiternis temporibus, ſine tamen Jurium, Privilegiorum libertatum*

Digitized by Google

*tatum ac bene receptarum conſvetudinum noſtrarum læſione, conjunctiſſime viveremus, nosque ad eum usque diem, noſtris legibus vivere, non autem aleunde allatas admittere unquam voluiſſe.* Inde nata, inter *Unionem Subjectionis & unionem Jurium*, ſub Imperio Sigismundi Auguſti, diſtinctio. Priorem non diffitentur Noſtrates, Eidem enim Regi parent, poſteriorem nunquam admiſerunt, quoniam præter Regem, nihil ipſis, cum Populo Polono commune fuit. Hæc cauſa movit Sereniſſimos Reges, ut Se, peculiari Juramento Prutenis obſtringerent, quod ſi ſupervacaneum ducerent, queſti de injuria Pruteni, ac in verba Regum jurare viciſſim detrectarunt. Saltim Sigismundus I. ſpoſpondit: „ Quamdiu hoc ipſum Juramentum Majeſtas ſua „ (Sigismundus Auguſtus) non præſtiterit & huic „ debito ſuo officio non ſatisfecerit, ipſos univerſos Status & Ordines earundem Terrarum & „ Civitatum Pruſſiæ, ad ſervandum Juramentum „ ſuum, quod Majeſtati ſuæ præſtiterint, non eſſe „ adſtrictos neque obligatos. Verum quandocunque poſt mortem Patris, ſupradictis omnibus, Sereniſſimus Filius, in ætate legitima exiſtens, ſatisfecerit, & hujusmodi Juramentum „ debitum præſtiterit, univerſos earundem Terrarum Pruſſiæ Status & Ordines, Illi ut vero & „ legitimo Domino, Regi ſuo coronato, omnem „ fide-

Digitized by Google

„ fidelitatem & obedientiam obſequiaque, ſecun„ dum Juramentum a ſe Illi factum, præſtare & „ exhibere teneri.

§. XI.

*& hodierna obſervantia petita removentur.*

Alterum, quod ſententiæ noſtræ opponi ſolet, argumentum, ex hodierna obſervantia petitur. „ Fruſtra, ajunt, verbis ſuperſtui, peculia„ rem illam Prutenorum Rempublicam, cum „ ipſa res loquatur contrarium. Adſcriptam po„ tiorem partem Conſilii Pruthenici Senatui Po„ lonico: intereſſe Regni Comitiis Ordinem „ Eqveſtrem: parere eundem Jurisdictioni Petri„ covienſis Tribunalis: partem ſtipendii, quo mi„ les Regni alitur, ex Provincia peti: plura omitti, „ quæ documento ſint, Pruſſiam Polonorum legibus „ regi, & ſi quid peculiare ſibi vindicet, umbram „ eſſe vanumque nomen. „ Hæc, veritati licet conſentanea, ſententiam meam oppugnant, non deſtruunt. Prutenorum, quæ temporis eſt calamitas, immutata plane eſt conditio, ex quo, fruſtra invocato legum auxilio, vis invaluit. At non animus fuit, verſum Provinciæ ſtatum, ſed qualis eſſe deberet, ſi ad normam Pacti Deditionis exigeretur, ſine ira & ſtudio, tradere. Qui de Romana Libertate diſſerunt, non circa ea tempora hærent, quibus Populus, omni exuta æqualitate, Juſſa Principis aſpectare conſvevit, ſed ipſum

Digitized by Google

ipſum Julium Cæſarem prætervecti, ſed ad priſcos & integros mores, ſub Conſulum moderamine, ſubſiſtunt, paucis, expirante Auguſto, ſuperſtitibus, qui Rempublicam vidiſſent. Pruthenorum libertas, ad Sigismundi Auguſti Imperium duravit, hanc quisquis noſcere velit, Annales decimi quinti, ſequentisq; ultra quinquageſimum annum ſeculi adeat, neceſſe eſt. Hanc materiam mihi ſepoſui, quod ignorare Lectorem nolui, cum in frontiſpicio operis indicaſſem, me de Norma Regiminis quae Terris Pruſſiæ, ex Juribus, ut vocantur, fundamentalibus, competit, acturum. Non tamen ſine uſu fuerit, introſpicere quam longe a recto deſcitum, quis olim Provinciæ ſtatus, quae mens Majorum, quid Sereniſſimis Regibus, quid Patriæ, quid itidem Populo Polono debeatur. Recentioris aevi Hiſtoria memorat proſtratam libertatem, ex quo cardo legum convelli cœpit. Ita, monente Paterculo, *non ibi conſiſtunt exempla unde cœperunt, ſed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latiſſime evagandi viam ſibi faciunt, & ubi ſemel recto deerratum eſt in præceps pervenitur.*

## §. XII.

*De jure, quo in Electionibus, Coronationibusq; Regum Poloniæ, Pruteni gaudent.*

Dixi ſub initium §. VIII. Prutenos cum Polonis eidem Domino parere, inde ſequitur, vocandos ad Comitia, ſi quando novus Rex eligi debeat.

Quod alii forſan ſupervacaneum putaverint, quoniam Pruſſia ſe Caſimiro IV. Ejusq; Poſteris, tanquam Dominis hæreditariis ſubdidit, ipſosq; Reges olim titulo Hæredum totius Prusſiæ uſos conſtat. Verum mos reſpiciendus, qui ſub familia Jagyellonica in legem abiit, quo, licet Patri ſuccederet filius, ſuffragiis tamen Ordinum Imperio admovebatur; ut taceam, finita Jagyellonum domo, Polonos aleunde petere Principes neceſſe habuiſſe. D. Caſimirus, quo ambiguitatem tolleret, Jus intereſſe electioni, in Pacto Deditionis Prutenis aſſeruit, quam cum ſequatur Coronatio, utrumq; conjunxit (*). Aderant ergo, cum Johannes Albertus eligeretur, ex Pruſſia Varmienſis Præſul, tres Palatini, Olivenſis, Pelplinenſisq; Abbates, ac trium majorum Civitatum Nuncii. Qui nam ad Comitia Electionis Alexandri, ex Pruſſia miſſi, in Annalibus non invenio; etſi ad manus ſint litteræ, quibus vocati ad hunc actum Gedanenſes, indeq; credibile, cæteros Ordines pariter accitos fuiſſe. Poſt Ale-

(*) Terrasq; & dominia prædicta---ad uſum participationem omnium honorum, Jurium, libertatum & prærogativarum, quibus Prælati, Barones, & Nobiles Regni Poloniæ hactenus potiti ſunt & ſignanter ad futurorum Regum Poloniæ, quotiescunq; ſuper Electione & Coronatione Eorum fieri deliberationem contingat, electionem & Coronationem admittimus, annectimus & includimus.

Digitized by Google

Alexandri obitum, antequam alius in ejus locum ſufficeretur, decretum in Conventu Grudentino A. 1506. ut nomine Provinciæ duo Palatini, Caſtellanorum unus, quibus ſuis adderet Gedanenſis Civitas, ad Comitia irent, ac ſuffragia in Sigismundum conferrent. Sigismundus Auguſtus in Regem electus, antequam de electione conſtaret; quæ feſtinatio obſtitit, quo minus Pruſſi Petricoviam vocarentur. Queſtos nihilominus de injuria Prutenos, elegiſſe, ne quid detractum videretur, ſeorſim Sigismundum Auguſtum, Patremq; interpoſuiſſe fidem, quod caſu acciderat, haud tractum iri in exemplum, Hiſtoria ſub anno 1530. uberius memorat. Extincto Sigismundo Auguſto, dabantur ex Conventu Mariæburgenſi ad Primatem cæterosq; Poloniæ Proceres litteræ, quibus monebantur, curarent, Prutenos per legatos ad Comitia Electioni vocari, quod factum poſt fata Caſimiri, alioq; tempore conſveviſſe, bene meminerant Ordines. His moti Regni Senatores, in Conventu Thorunenſi, Breſtenſis & Vladislavienſis Palatini, Legati aderant, qui diem locumq; electioni deſtinatum indicabant. Annus circiter ab electione effluxerat, cum Henricus Regio diademate cingeretur, cui feſtivitati Pruteni intererant, hoc ſaltim diſcrimine, ut, quod hactenus ſolis Conſiliariis datū erat, Nobili-

bilitas inferior Civitatesq; minores ſibi arrogarent, viſiq; tum primum earum Nuncii; qui mos impoſterum ſtetit & obtinuit. Poſt abitum Henrici orta inter ordines quæſtio; num, redditis eum in finem a Senatu Polono Litteris, ad Comitia Convocationis vulgo dicta, proficiſci teneantur. Diſſentiebant a Conſiliariis Equeſtris Ordinis Nuncii, donec in illorum ſententiam flecterentur; reſponſumq; ad Polonorum poſtulationem: Non habere Prutenos, quod in Comitiis Convocationis agant, ſoli Electioni Coronationiq; intereſſe hactenus conſveviſſe, adfuturosq; modo de tempore conſtiterit; quod cum ex Primatis *Litteris Univerſalibus* innotuit, Noſtrates promiſſis ſteterunt. Coronationi Stephani vero ideo ſe ſubduxerant, quod Pruſſia, partes Maximiliani Cæſaris, tuebatur.

## §. XIII.

*De more, ad quem Majores noſtri in Comitiis Electionis & Coronationis ſe componebant.*

Ad cætera, quæ tum Electionis tum Coronationis ſecuta Comitia, veniſſe Prutenos, in confeſſo eſt (†) quibus tamen non immoror, potius ea noto, in quibus ab antiquo more poſterior ætas deflexit. Non autem ſinguli ititare conſveverunt, ſed Legati mittebantur. In Electione Henrici, novo

(†) Comitia Coronationis Sigismundi III. excipio. Aberant Pruteni, quod motus à Maximiliano Auſtriaco excitati, iter infeſtum reddiderant.

Digitized by Google

vo plane exemplo, quotquot eo proficiſci volebant Conſiliarii, aderant. Reviviſcere videbatur in electione Stephani vetus conſuetudo, quam tamen novitatis amor iterum extinxit. Oratores, quos dixi, ex Senatu legebantur, cujus pars cum ſemper Civitates majores fuerint, dignitas hæc ad eas pariter perveniebat. Illud in Deſcriptione Electionis Stephani memoratum invenio, oblocutos quosdam ex Senatoribus Regni, cum Civitatum Ablegati pone Culmenſem Palatinum, (†) in Conſeſſu Procerum locum caperent. Non deerant ſibi Pruteni, Civitates majores, Regis Conſiliarios, haud poſſe Senatu moveri, allegantes. Sed vicit oppugnantium pertinacia, ceſſeruntq; *Proteſtatione* præmiſſa, Civitates, motæ imprimis, quod ſancte promiſſum, nil in eorum abſentia de electione, ſed tantum de Negotiis alienis actum iri. In Electione Vladislai, jus hoc Civitatibus non competere, *Lucas* quidam *Orzelski*, ex Palatinatu Poſnaniæ demonſtratum ibat; repoſuerunt qui Thorunio Gedanoq; aderant; incaſſum obſtrepente Orzelskio, „oportuiſſe civitates jura ſua Reipublicæ exhibere„: monebant enim Regni Primas ac Epiſcopus Culmenſis„ inique moveri controverſiam Civitatibus, cum Privilegiis niterentur„. Adſtipu-

 laban-

(†) Qui enim nomine Civitatum majorum aderant, poſt terga Palatinorum aſſidere ſolebant.

labantur Maſovii, „cognita ſibi in Regum electi-
„ one, Civitatum Suffragia aſſerentes „. Sequebatur plurium Palatinatuum clamor: „ relinquenda „ ſua Civitatibus jura, quod bene de Republica Po- „ lona meritæ „. Ita Orzelskio illi, cum intempeſtive loqui quam tacere mallet, non ſine rubore, ſilentium imponebatur. Hoc forte *Piaſecio* errandi anſam præbuit, qui in *Chronico* ſuo ad annum 1632. aſſerit, Gedanenſes hoc tempore Jure Suffragii in Electionibus Regum donatos fuiſſe, cum tamen jus hoc altius repetendum eſſe, ex ſuperioribus pateat.

## §. XIV.

*De Suffragiis in Regum Electionibus.*

Licet igitur olim, Cæterorum nomine, nonnulli ex Conſiliariis (*) electioni coronationiq; Regum intereſſent, contigit tamen, ut recentiori ævo, inferior Nobilitas civitatesq; minores, ſuos adderent. Primum exemplum, ut memini, in coronatione Henrici occurrit. Neq; in ferendis ſuffragiis avitus mos ſervatus. Solebant enim domi Ordines de Succeſſore convenire, cujus nomen primarius qui

(*) Poſſet Olivenſis & Pelplinenſis Abbatum exemplum obiici, qui, licet in Senatu Prutenico locum haud habeant, adfuiſſe tamen electioni Johannis Alberti, ſupra memoratum eſt. Verum Abbates hi, non legatorum vices expleviſſe, ſed Præſuli Varmienſi, honoris ergo, comites dati videntur.

Digitized by Google

qui ex Provincia aderat, in Comitiis recitabat. Quod adhuc in Electione Vladislai obſervatum memini. Cum enim Ordo ſuffragii Palatinatum Culmenſem tangeret, alta voce Præſul Culmenſis orſus, „ Præſidem ſe hoc tempore, Terrarum Pruſſiae, nomine „ totius Senatus Prutenici, ſcilicet duorum Epiſco„porum, trium Palatinorum, trium Caſtellanorum, „ totidem Succamerariorum, nonnullis licet abſenti„bus, duarumq; majorum civitatum, (†) Thorunii „ ac Gedani quibus Jus ſuffragii competeret, edi„cere, Prutenos unanimi conſenſu, Juribus, Privi„legiis conſuetudinibusq; Terrarum Pruſſiæ ſalvis, „ Vladislaum Regem elegiſſe„.

## §. XV.

Coronatione peracta, moris erat, ut Reges Jura Provinciæ ſcripto firmarent, libertatemq; haud infracturos, jurejurando, ſe obſtringerent. Non negligebant Ordines, ſi quæ contra leges ſub Priorum Regimine irrepſerant, conſignare, novoque Principi ut abolerentur, exhibere. Saltim in Coronatione Johannis Alberti, ex Pruſſia, qui aderant ingenue faſſi, „ decreviſſe Provinciæ Ordines, Regiæ Majeſtati jurejurando ſe non obſtringere, pri„usquam, turbata hactenus multis modis Privilegia

*Reges, coronatione peracta, Prutenis Privilegia ſua firmare eorundemq; obſervationem, dicto peculiari ſacramento, ſpondere ſolebant.*

(†) Elbingæ ideo mentio facta non eſt, quod civitatem Sveci tenerent.

„gia in integrum reſtituerentur„. Habes cauſam cur Noſtrates, ad probata Sacramentoq; roborata Jura toties provocaverint. Quid Filii nomine Sigismundus I. promiſerit, in fine §. 10. legi poteſt. In Regni Comitiis ſub exitum anni 1548. & ſub initium ſequentis, Petricoviæ habitis, Pruteni poſtulabant, ut Sigismundus Auguſtus D. Parentis promiſſis ſtaret; at reponebatur, „jam anno 1537. „Cracoviæ Regem juraſſe Regno, quod non mi„nus Pruſſiam, quam ipſam Poloniam concerne„ret, adeoque fidem, quam Divus Parens dederat, „Serenisſimum filium liberaſſe„. Acquievere tandem Pruteni, cum ipſis Rex ſequentes, ut vocant, *Litteras Declaratorias* traderet: „Sigismun„dus Auguſtus, Significamus præſentibus litteris, „quorum intereſt, univerſis, quoniam in dubium „vertitur, an Jusjurandum noſtrum, quod anno „1537. ſolenniter præſtitimus, Status quoque & „ſubditos terrarum noſtrarum Pruſiæ comprehen„dat, cum ad Status tantum Regni Poloniæ vide„atur adſtrictum, de aliis Dominiis ipſi Regno „incorporatis, nulla mentione facta: Nos pro li„beratione fidei Domini Parentis noſtri & ſecuri„tate terrarum noſtrarum Pruſiæ, præſentibus de„clarandum & interpretandum hoc noſtrum Ju„ramentum bona fide dicimus & affirmamus, no„ſtram intentionem & mentem, tunc cum juravi-

mus

Digitized by Google

„ mus nec alio ſenſu a nobis intellectum eſſe, quam „ ut ipſum Juramentum etiam ad Terras Pruſſiae „ pertineret, ipſæque terræ cum ſuis ſubditis in illo „ eſſent comprehenſæ, uti & comprehenſas volui- „ mus & interpretamur „ &c. In Coronatione Henrici, de præſtando Juramento, Pruteni cum Polonis diſceptabant. Hi ex *unione Jurium*, qua junctam Regno Provinciam falſo putabant, inique peculiarem Jurisjurandi formulam a Rege exigi, ſecus ſingulos Palatinatus idem ſibi arrogaturos, argumentabantur. Contra noſtrates, confutata Jurium unione, ſuas leges, avitamque conſuetudinem nequicquam implorabant. Nihilominus, ex Conventu, qui Coronationem ſequebatur, Mariæburgenſi, litteris ad Regem perſcriptis, Ordines teſtabantur; „ non ſe in verba Regis juraturos, niſi Ma- „ jeſtas Ejus ſacramento præiverit „. Recruduit ſub Stephano Controverſia, quam præceps ad Gallos Henrici abitus indeciſam reliquerat. In Conventu Mevenſi a 1576. Culmenſem Palatinum Nic. Dzialinium dixiſſe invenio: „ Non ſe detrectare „ novo Regi obſequium, modo gravamina tollat, „ avita jura firmet, & juxta veterem formulam „ Provinciæ jusjurandum præſtet, ſecus malle inter „ carceris ſqualores extingui, quam hanc ſibi men- „ tem eripi: „ cui cæteri adſtipulabantur. Veniente igitur Rege Thorunium, exhibebant Ejus

Majeſtati Ordines, conſcriptum veteri forma juramentum, quod recitari ſibi ſubmiſſe petebant. Verum, ſuppeditato a Polonis argumento, prætexebat Rex „Præſtitum in Regno juramentum & Prute-„nis ſufficere, cum Pruſſia Poloniæ, veluti corpori „ſuo membrum, juncta eſſet„. Non tacuere Pruteni, eoque flexerunt Regem, ut *clauſulam*, quam vocant, *ſalvatoriam*, quæ Regni juramento inſeri deberet, in ſecuritatem privilegiorum Prutenicorum, offerret, ſimul quereretur, intercedere Polonos, quo minus Provinciæ ſeorſim juraret. Hic tandem diſceptationis exitus, ut Rex Privilegia rata habiturum, gravamina in proxime futuris Regni Comitiis abrogaturum, & exemplo Sigismundi Auguſti, *Litteras Declaratorias*, Prutenos ſe Juramento Regni incluſiſſe, daturum, polliceretur.

## §. XVI.

*Quo facto, Prutenorum erat, fidem ſuam juramento obſtringere.*

Dicto a Regibus ſacramento, demum in novi Principis verba jurare ſolebant Noſtrates. Id fieri in Provincia ſvevit, vel Rege, vel Legatis Ipſius præſentibus. In Henrici Regis Coronatione laboratum, ut mos ille cum cæteris verteretur, quoniam Poloni inſtiterunt, ut, qui ex Pruſſia aderant, Cracoviæ, ad uſitatam in Regno formulam jurarent. Neutrum futurum aliquantiſper negatum eſt, donec Palatini & Caſtellani, vi quaſi adacti,

quod

quod exigebatur, præſtarent; in hoc tamen videri Pruteni volebant, addita, dum recitarent formulam, Terrarum Pruſſiæ mentione. Secutus eosdem recens nominatus Culmenſis Præſul, Petrus Koſtka. Cautiores in hoc civitatum majorum Ablegati, qui cum cæteri Deum teſtem ad mentem Polonorum invocarent, clam ſe ſubduxerant, ac ſine temeratæ libertatis nota, ad ſuos reverſi. In Conventu, qui ſequebatur, Mariæburgenſi, indignationem ſuam Nobilitatis Nuncii teſtati ſunt, quod Palatini, Caſtellani, novusque Epiſcopus a veteri conſvetudine deſciverint, cum contra majorum Civitatum exemplum commendarent. Cæterum unanimi ſuffragio obtinuit, jusjurandum, quod vi extortum erat, haud trahi ad normam poſſe, ad quam impoſterum ſacramenta exigantur, injunctumque Civitatibus, ne Regiis Legatis, qui ad exigendum juramentum venerint, morem gererent, donec Rex ad antiqvum morem ſe compoſuerit.

## §. XVII.

*Norma Regiminis. Regi haud quicquam, de rebus, quæ Provinciam noſtram afficiunt, ſine Ordinum conſenſu ſtatuere licet.*

Ad ipſam Regiminis normam accedo. Noluit Divus Caſimirus, quæ Sibi Sereniſſimisq; Succeſſoribus; in Prutenos competat poteſtas, in ambiguo relinqui. *Omnes* enim *cauſas notabiles dictas terras* (Pruſſiæ) *concernentes cum communi Conſili*



Digitized by Google

*ariorum Spiritualium & ſeculiarium, Nobilium & Civitatum majorum Conſilio, terrarum prædictarum, Se terminaturum, tractaturum & definiturum* in Pacto Deditionis pronunciavit. Unde conſtat non ſolius Regis arbitrio noſtram regi Rempublicam, ſed diviſo cum Ordinibus Imperio, Jura Majeſtatis conjunctim exerceri. De hac re ut uberius diſſeram, materiæ dignitas poſtulat.

§. XVIII.

*Quod olim ſub Equitum Teutonicorum Regimine ſervatum meminimus.*

Qui Patrios evolvere Annales, ſciunt, ſub Crucigerorum Imperio, ex Ordine Equeſtri & Civitatibus in publicum Conſilium cooptatos, fine quorum conſenſu Magiſtro Teutonico non integrum erat, in rebus arduis quicquam ſtatuere, ac interdum totius Provinciæ ſuffragio opus fuiſſe (*). Unico hoc libertatis præſidio tuti, ſummum navarunt operam Prutem, ne impotens Dominantium lubido, poſitos ſibi fines tranſcenderet. Delato ad Regem Poloniæ Imperio, tantum abeſt, ut Patriis Juribus quicquam detractum, quin potius aucta eadem vellent. Hoc cauſam dedit articulo, quem ex Pacto Deditionis §. præcedenti inſerui. Quæ ibidem occurrunt Perſonæ, Eccleſiaſticæ & ſeculares appellantur, ac hæ in Equeſtris & Civilis Ordinis dividuntur. Ex his hodienum, publicum Terra-

(*) Uberius hæc, vol. 2. Bibliothecæ Polon. p. 250. 251. traduntur.

Terrarum Pruſſiæ Conſilium componitur, in quo Duos Epiſcopos, tres Palatinos, tres Caſtellanos, totidem Succammerios, ac tres quæ ex cæteris ſuperſunt, civitates majores, numerabis.

§. XIX.

Non eadem olim facies. Memoriæ traditum eſt, D. Caſimirum in primo, poſt adventum in Pruſſiam, Elbingæ habito Conventu, Provinciam noſtram in quatuor diſtinxiſſe Palatinatus, quibus ſingulos Palatinos, his vero, qui ſuo nomine omnibus imperaret, præfeciſſe. Hoc ut fieret, ex pacto quod pepigerat, tenebatur Caſimirus. *Item*, verba adſcribo, *quia nos pro bene gerendis rebus Dominiorum noſtrorum in varia ſæpe loca & a terris prædictis* (Pruſſiæ) *diſtantia, neceſſe eſt facere deſcenſum, ne igitur per noſtram abſentiam Terræ ipſæ aliquod poſſent contrahere periculum vel periclitationem: Nobiles viros pro illius tuitione & gubernatione, de eorum legalitate fide & merito confiſi, ad noſtræ duntaxat beneplacitum voluntatis, ac cum conſilio Prælatorum, Conſiliariorum civitatnm majorum prædictæ Terræ deputabimus, ad quos in noſtri abſentia ſuper quolibet defectu & eventu habeatur recurſus, providentia, proviſione & autoritate illorum ſupplendus & emendandus.* Quatuor hi Palatini una cum Regio præfecto, ſi munus eorum reſpexeris, non Provinciæ Conſiliarii, ſed Regii Miniſtri erant. Inde neceſſum habebat Rex,

*Suſcepto a Caſimiro Regimine, novum Terrarum Pruſſiæ conſtituitur Conſilium.*

in Grudentino, qui Elbingenſem ſecutus, Conventu, monere Ordines, „ legerent ex utroq; ordine, „ Equeſtri ſcilicet ac Civili, Conſiliarios, cum quibus „ ſua Majeſtas ageret, ne ſingula ad totam Provinciam referre cogeretur „. Dicto obtemperatum, Regius Præfectus, quatuor Palatini, duo arcium *Capitanei*, duo ex cætera nobilitate, quibus Civitates, Culma, Thorunium, Elbinga, Brunsberga, Regius mons, Cniphovium & Gedanum ſuos adderent, publicum Conſilium dicti ſunt. Licet ergo Nobiles numero prævalerent, ſancitum tamen fuit, ut utriusq; ordinis paria eſſent ſuffragia, Equitibus ſeptem, totidem civibus adſignatis.

## §. XX.

*Conſiliarii, ut ſint Indigenæ, oportet.*

Sententiam de hoc inſtituto, alio tempore & loco dixi (†), fuſiusq; varias Conſilii publici mutationes, donec hodiernam formam induerit, narravi, quo Lectores remitto: ea additurus, quæ olim ſilentio transmiſſa, aut minori quam par erat ſtudio, dicta fuere. Præ cæteris notandum venit, non niſi indigenam Provinciæ, Teutonicæ lingvæ gnarum in numerum Conſiliariorum cooptari potuiſſe; quamvis poſterius priori inhæreat, cum Germanorum lingva, Prutenis fuerit vernacula. Præterea qui in Pruſſia Conſiliarius, in Polonia munus

(†) Part. X. Bib. Pol.

Digitized by Google

nus aliquod haud obire poterat, quod utrumque pugnare videbatur. Inde nata conſtans Majorum opinio, eum demum in Pruſſia publicis muneribus admovendum, qui ibidem natus & *poſſeſſionatus*, nec extra provinciam officia aut *poſſeſſiones* haberet; quod infra cùm de Jure *Indigenatus* agam, pluribus memorabo.

## §. XXI.

Primi, poſt factam Regi Poloniæ deditionem, Conſiliarii, ab Ordinibus, ut ſupra monui lecti, quos D. Caſimirus ratos habuit. Licet poſtea Regibus datum ſit, ut ipſi in vita functorum locum, alios ſufficerent, nihilominus commendabant, qui præ cæteris digni videbantur, Conſiliarii, ac poſtulaſſe, lego, ne quis, ipſis inſciis, dignitati admoveretur, aut turbato ordine, primos gradus occuparet, qui in imis non fuiſſet (*): ita enim fore, ut in bene merentes conferatur honor, viaque invidiæ ac inde pullulantibus inteſtinis odiis præcludatur. Novi Conſiliarii, duplici Juramento, & Regi, & Pvovinciæ fidem ſuam obſtringere tenebantur. Documento ſunt ea, quæ in Hiſtoria Sigismundi I. ſub 1533. ac ſequentibus annis, in hanc rem congeſſi. Juramentum Provinciæ præſtandum, in publico Conventu exigebatur, quem morem hodienum

*A Rege creantur. De eorum ſacramento.*

(*) Scilicet ut Succamerarius Caſtellanus, Caſtellanus Palatinus crearetur. Vide Annales noſtros ad an. 1528.

Digitized by Google

num ſanċte obſervant Ordines. Id olim lingva Teütonica fieri ſuevit, poſtea latina invaluit, etſi jam Sigismundi I. tempore, formulae Juramenti polonico idiomate recitatæ, exemplum occurrat. Cauſa duplicis Sacramenti, ex duplici, quod obeunt, munere Conſiliarii, petenda videtur. Quod ſi enim ad Palatinatus, Caſtellanatus & Succamerariatus dignitatem reſpexeris, Regii (†) audiunt Miniſtri, hocq; nomine Regiæ Majeſtati fidem ſuam addicere tenentur; ſpartam vero quod attinet, quam ceu Conſiliarii ornant, Provinciæ Ordinibus adnumerantur, indeq;, curaturos ſe, ne Patriæ libertas detrimenti quid capiat, Deum Teſtem invocant. Poſterius tam religioſe obſervatum, ut recens creati Succamerarii, Caſtellani & Palatini, niſi Provinciæ juraſſent, in Senatum haud admitterentur. Idem de Epiſcopis dicendum. Sola enim Dignitatis Eccleſiaſticæ collatio, non eos cæteris Conſiliariis jungit. Multos interceſſiſſe a condito Senatu annos, meminimus, donec Præſules recepti (††). Martinus Cromerus, haud in Senatum admiſſus, licet Epiſcopus Varmienſem Eccleſiam regeret. Qui Ipſum excepit, Andreas Bathoreus, tum demum publicis conſiliis intereſſe, Præſidem

(†) Non tamen quatenus Polonis, verum quatenus Poruſſis imperat.

(††) Vide Bibliothecam noſtram Polon. vol. 2. p. 351. ſ.

Digitized by Google

demq; agere, cum Provinciæ fidem ſacramento obſtrinxiſſet. Inde Gedanenſes, ſuis ad, Conventum Mariæburgenſem a. 1590. Ablegatis in mandatis dederant. „Quoniam Reverendiſſima ſua „Celſitudo Cardinalis Andreas Batoreus, Regiae „Majeſtatis Litteras, quibus ad Comitia invitantur „ordines, ſingulis miſerit, iisdemq; ſuas addide„rit, ex eo conſtare, adfore Ipſum caput Senatui, „ſuſcepturumque Præſidium. Verum cum Car„dinalis Provinciæ jusjurandum nondum præſti„terit, promtitudinem licet in præteritis Regni Co„mitiis teſtatus, navarent cum cæteris operam le„gati, quo Reverendiſſima ſua Celſitudo, tanquam „Præſes ac Terrarum Pruſſiæ Conſiliarius, Mariæ„burgi, uti hactenus fieri conſuevit, ex praeſcri„pto Privilegii, more & ſolennitatibus ſolitis, ſa„cramentum recitaret„ Hoc enim Varmienſi Præſuli peculiare, quod cum caeteri Conſiliarii non certo loco adſtricti, ubicunq; confluant, in conſeſſu Procerum Jurisjurandi formulam recitent, ab ipſis id in Mariæburgenſis Arcis templo, ad ſummam aram exigatur. Caetera quae huc ſpectant, ſolennia, ex Receſſu, ut vocant, dicti Conventus Mariaeburgenſis deſcribo. „De modo, (narrat lingua „Teutonica Scriba) quo a Cardinale Bathoreo Jus„jurandum exigendum, ſermones habiti, ac quae„ſitum fuit, num id ad exemplum reliquorum

„ Conſiliariorum, an vero ex praeſcripto legum
„ fieret. Verum cum perſpicerent Ordines, male
„ Legum autoritati conſuli, ſi ipſi eandem infrin-
„ gerent, rogarunt Bathoreum ne ſolus refragare-
„ tur. Annuit Cardinalis, itumq; ad arcem, in cu-
„ jus templo, ante ſummam aram ſtratus erat hu-
„ mi holoſericus, rubri coloris, tapes, cui ejuſdem ſta-
„ minis impoſitum pulvinar. Uterq; Epiſcopus,
„ Varmienſis ſcilicet & Culmenſis, flexo poplite,
„ tacite, verbis breviter conceptis, Deum precati.
„ Verum quoniam in Privilegio cautum, ut juris-
„ jurandi formula, praeſentibus Epiſcopo Culmen-
„ ſi, Palatino Mariæburgenſi, Capitaneo Mariæ-
„ burgenſi, triumq; majorum Civitatum Præ-Con-
„ ſulibus recitaretur, ſolusq; abeſſet Mariæburgen-
„ ſis Capitaneus, miſſi ſunt, qui vices Capitanei
„ gerentem, accerſerent: ſed cum is abſentiam de-
„ precaretur, acceſſit ad aram Culmenſis Præſul,
„ in manibus habens Priluſii Statuta, in quibus ver-
„ ba Sacramenti continentur. Flexit iterum ge-
„ nua Bathoreus, duobus Canonicis, ex Capitulo
„ Varmienſi, utrumq; latus claudentibus, qui ſimul
„ Statuta tenuerunt, ipſo Cardinale Jusjurandum
„ ſibi praelegente, quod, impoſitis, *Viatico*, ut vo-
„ cant, duobus digitis, abſolvit. Quo facto, *Be-*
„ *nedictionem* pronunciavit Culmenſis Praeſul, mo-
„ nuitq; Varmienſem, memor eſſet ſacramenti, ac
quod

„ quod Reipublicæ ſalutare, unice curaret; quod „ factum, Bathoreus latino ſermone pollicitus. „ His peractis cæremoniis, reverſi in civitatem Con- „ ſiliarii, quos ad prandium vocatos laute excepit „ Bathoreus epulumq; in veſperam protrahi paſſus „ eſt„. Quæ hactenus de Jurejurando memoravi, utrumq; Praeſulem, eosq; Conſiliarios, qui ex Equeſtri ordine leguntur, reſpiciunt, majorum civitatum Legati talia ignorant. Equidem Sigismundo I. imperante, laborarunt cæteri Conſiliarii, ut eadem civitatum eſſet conditio, verum ad Jusjurandum, quod, cum novi in Magiſtratum recipiuntur, exigi ſolet, paritérq; ad perpetuum, qui hactenus obtinuerat, morem, provocatum invenio.

§. XXII.

*De Praeſide. Epiſcoporum Ablegati quem locum inter Conſiliarios occupent.*

Praeſidium Senatus olim penes Pro-Regem erat. Sublata hac dignitate, Stiborius Bayſenius, ex Pro-Rege Mariæburgenſis Palatinus factus, principem in Senatu retinuit locum; quo mortuo, Præſidium, Culmenſi, inter Palatinos videlicet primo, acceſſit, qui, lecto jam in Senatum Epiſcopo Culmenſi, functus eodem legitur (†) Succeſſu temporis, honos iſte Praeſuli Varmienſi obtigit, cujus nomini, titulus Praeſidis Terrarum Pruſſiæ, hodienum adſcribitur. Hoc abſente, vices Culmenſis excipit,

 quod

(†) Quod ex Caſp. Schutzii Chronico colligitur, quem vide L. VIII. f. 381.

quod ſi nec is adfuerit, munus obit Palatinus Culmenſis, adeo, ut, qui primus inter Conſiliarios, Senatui præeſſe ſoleat. Nec iſtud ſilentio transmittendum, quod ſi mortuo Epiſcopo, Capitulum, aut ipſe Episcopus, morbo ſeu negotiis praepeditus, legatos ad Comitia mittat, ii, non Episcopi, cujus nomine veniunt, locum occupent, multo minus Senatui veluti capita adſideant, ſed ſi a Capitulo, ſedem inter Succamerarium Pomeraniæ & Nuncios Thorunenſes, ſortiantur, ſi vero ab Epiſcopo miſſi fuerint, memini, Varmienſis Oratores, Praeſulem Culmenſem, qui aderat, excepiſſe.

## §. XXIII.

*De iis, qui interdum extra Ordinem Conſiliariis aſſidere ſolebant. De trium majorum Civitatum Ablegatis.*

Licet numerus Senatorum lege quaſi definitus, placuit tamen nonnunquam Regi, viros inferioris Ordinis, Capitaneos puta ipſamq; Civitatem Mariæburgenſem &c. extra ordinem adjungere, qui in medium conſultarent. Exempla occurrunt in Annalibus noſtris ad an. 1528. Caeterum a majoribus Civitatibus, qui ex Nobilitate Senatui adſcripti, poſtulaſſe ſcio, legerent ex magiſtratu, qui quoad viverent, Conſiliis adeſſent, ne ad ſingulos Conventus diverſos mittere cogerentur; ſed placuit Civitatibus avitus mos, quo, Majorum exemplo ductæ, quoties Comitia indicuntur, binos ex Magiſtratu, ad noſtram usq; ætatem ablegare ſolent.

§ XXIV.

## §. XXIV.

De quibus hactenus ſermo fuit, Proceres, Terrarum Pruſſiae, utriusq; Ordinis (*) Regii Conſiliarii dicuntur: inde aegre tulerunt, cum poſt Sigismundi Auguſti obitum, a Regni Senatoribus, titulo Conſiliariorum Regni inſignirentur, quod Poloniae Senatoribus confundi nollent. Hinc Comitiorum Placita ſequens elogium praeferunt: *Nos Prælati, Palatini, Caſtellani, Succamerarii, Civitates, Regiæ Majeſtatis, Domini noſtri Clementiſſimi, Terrarum Pruſſiæ Conſiliarii.* Uno nomine eosdem *Status* primi Ordinis diceres, quo a cæteris, qui ſunt ſecundi ordinis, diſtinguantur.

*Non Regni Poloniæ, ſed Terrarum Pruſſiæ Conſiliarii, noſtri dici volebant.*

## §. XXV.

Ad *Status* Secundi ordinis, Nobilitas (†) inferior ac minores civitates referri ſolent. Hi enim jam ſub Crucigerorum Imperio, de majoribus rebus conſultabant. Siquidem ætate Michaëlis Sternbergii, ſummi Ordinis Teutonici Magiſtri, ſtatutum, ne tributa ſine Conſiliariorum totiusq; Provinciae con-

*Hactenus de primi, jam de ſecundi Ordinis ſtatibus. Huc ſpectant inferior Nobilitas ac minores Civitates.*



(*) Ad Nobilitatem & civitates reſpicitur.

(†) Inferiorem Nobilitatem Equites conſtituunt, quicunq; Conſilio Publico non ſunt adſcripti; & præter Thorunium, Elbingam, ac Gedanum, cæteræ civitates, minores audiunt.

Digitized by Google

conſenſu imperarentur (*), magnoq; illi foederi, quod novo Imperio viam ſtruxit, Nobilitatis minorumq; civitatum nuncii nomina ſubſcripſere (†). Manſit mos ſub Regimine Sereniſſimorum Regum Poloniæ. Hinc cum a. 1476. de pellendo Epiſcopatu Varmienſi, Nicolao Tungenio, Caſimirus Rex, Prutenos in Conſilium adhiberet, majores, quæ aderant Civitates, ſe, minoribus non vocatis, ſententiam dicturas negabant, quoniam de totius Provinciæ ſalute ageretur. Clerus contra cum Nobilitate indignari ac praetexere, „eſſe minorum „civitatum vitium, ut rebus agendis moram faci-„ant non tollant; nec olim receptum, eas acer-„ſere ſi quando Ordines coirent, ſola illis relicta „obedientia, ut ſcilicet ſe ad ea componerent, „quæ majoribus placuiſſent„. Praeterea conſtare, „non minores, ſed majores civitates, Conſilio Pru-„tenico adſcriptas, & licet illae interdum ad Co-„mitia vocatæ fuerint, non tamen hoc Reipubli-„cæ ſalutare eveniſſe„. Reponebant majores civitates, „poſtrema facilius dici quam evinci; ſal-„tim omnes ſcire, datam minoribus civitatibus ſub „initium, confecti modo cum Crucigeris belli, fi-„dem, fore ut ſi quando res maximi momenti in-„ciderint, cum iis conſultatio inſtituatur: quod ſi iterum

(*) Schützius. L. III. f. 117.
(†) Idem L. IV. f. 141.

„ iterum expedienda arma, aeqvum eſſe, ut ante„ quam id fieret, quo ſpectarent conſilia, certiores „ reddantur. Actum olim de levioribus, nihil„ ominus vocatas ad deliberationem civitates mi„ nores, Annales perhibere; verſum iri in oppro„ brium majoribus, ſi a minoribus divelli ſe pate„ rentur, accerſendas ergo, antequam res in ſcitum „ publicum tranſiret, non ut Senatui aſſiderent, „ verum quo, quid ageretur reſciſcerent, ſenten„ tiamque rogarentur „. (*) Proſtant in Hiſtoria Gentis noſtræ exempla, quibus evincitur, non integrum fuiſſe Conſiliariis, tributa ſciſcere aut in re ardua, Nobilitatis & minorum civitatum nunciis abſentibus, quicquam decernere, verum Regem, ſi quid horum fieri vellet, *Status* inferioris ordinis, ad comitia vocare oportuiſſe.

## §. XXVI.

*Quomodo hi publicis Conventibus intereſſe aſſueverunt.*

Miſſis ergo legatis, equeſtris ordo ac civitates minores aderant. Ille ſuos in conventibus ut vocant, particularibus (†) eligebat, ſimul de viatico,

(*) Schutzius L. VIII. f. 358.

(†) Hi in ſingulis Palatinatibus inſtituebantur, die a Palatino loci definito. Quod ſi is Nobilitatem convocare negligeret, aut conventus particularis non juſto tempore fieret, culpæ ejus tributum, quod in Conventu generali, certi quid haud ſtatui potuerit. Cæterum non licuit Nobilitati ex arbitrio coire, & cum factum, crimen

co, datis quae in rem viderentur mandatis, proſpiciebat, quod ab illis, qui domi manerent, conſerebatur. Idem a minoribus civitatibus factum antequam ad particulares conventus proficiſcerentur, quo confluebant, ut cum Nobilitate de iis quæ in Comitiis generalibus tractanda, conſilia antecaperent. Pertinet id ſolum ad Nobilitatem & civitates minores trium Palatinatuum: non gaudent hac praerogativa qui Varmienſem dioeceſin incolunt, quoniam non immediate Regi, ſed Præſuli parent. Idem dicendum de iis, qui in ſecularibus, ut vocant, Culmenſi Epiſcopo ſubſunt. Cæterum uterq; Epiſcopus, ſuis peculiares conventus indicere ſolebat, ut id probarent, quod integræ Provinciæ placuerat: fieri quoq; conſuevit, ut Epiſcopi ante generalia Comitia, Equeſtrem ordinem cum civitatibus convocarent, quo intelligerent, quid ſuis de Regia voluntate videretur. Scio, ordines Provinciæ tributa ſciſcere non auſos, Epiſcopis aut qui eorum, Capitulique nomine adeſſent, abſentibns. Ut cætera omittam, in Reſponſo, Oratori Regio, in Comitiis ad feſtum D. Stanislai a. 1549. celebratis, dato, legitur. *Cum Epiſcopatus*

crimen habitum. Inde reperio Equeſtrem ordinem, ſi quando de iis quæ obvenerant, extra ordinem convenire voluerit, petiiſſe, committerent Proceres Palatinis, ut tempus locumq; litteris per Provinciam miſſis, ſibi praefigerent.

Digitized by Google

*tus Varmienſis non minima ſit hujus Provinciæ portio, neq; ad hæc Comitia, ſede vacante, ab ipſo Capitulo Varmienſi, ad hanc cauſam una cum cæteris ordinibus tractandam, miſſus ſit quisquam, fieri non poſſe, ipſis Nobilitatis atq; minorum civitatum nunciis eſt viſum, ut aliqua deliberatio ſuper rebus in ipſa legatione, præſertim autem ſuper primo articulo contribuendae pecuniae, conſtitui poſſit. Haec ita ab equeſtris ordinis atque minorum civitatum Nunciis in medium prolata, cum ſatis conſtaret, ea vera eſſe, ad ulteriora procedi non potuit.* De Brunsberga & Culma, civitatibus, notandum, eas in tantum decreviſſe, quod cum olim ad majores, Conſiliumq; publicum pertinuerint, jam Episcopis parere teneantur. Anno 1563. minoribus annumerari conſiliisq; publicis intereſſe Culmenſis civitas laboravit, ſed reſtitit Præſul, jus ſuum in eam allegando; neque Nobilitas quenquam nomine Culmenſium admittere voluit, cum novem ſupra quadraginta anni elapſi, quod neminem ad Comitia ablegaviſſent.

§. XXVII.

At non ad ſingulos Conventus, inferioris dignitatis ordines venire, verum tum demum vocari ſolebant, ſi quid novi ſtatuendum, tributa imperanda, bellum indicendum, defenſio paranda, aut de aliis rebus maximi momenti agendum eſſet. *Tum vocati, ſi de Rebus arduis agendum.*

F Hinc

Digitized by Google

Hinc in Annalibus coeptorum finitorumq; a ſolis Conſiliariis conventuum, innumera fere occurrunt exempla. Recentioris ſeculi infelicitas eſt, non agere ſine Nobilitate Comitia. Sentimus quod inde pullulavit malum, cum publica ſalus, tot capitum, quorum difficilis eſt unio, unanimi ſuffragio innitatur, cæterorumq; pereat opera, ſi unus interceſſerit.

§. XXVIII.

*Minores Civitates hodie omnibus Conſiliis motae. Ipſis injuriam factam oſtenditur.*

Praeterea Civitates minores a Nobilitate, vi quaſi, loco quem olim in Comitiis occuparunt, motæ, ad publica negotia haud admittuntur; quod ut perficeretur, jam Seculo XVI. laboratum eſt. Inter alia a. 1701. de injuria, peculiari ſcripto, queſtæ ſunt Civitates: *Nemo,* inquiunt, *niſi Juris Publici & antiqvarum hujus inclytæ Provinciæ conſuetudinum ignarus, negabit, quod a primæva Civitatum a Crucigeris fundatione, Civitates etiam minores, ad Ordines harum terrarum ſpectarint, & cum iſta ſua prærogativa, tempore Divi olim Regis Caſimiri, ad glorioſum Poloniæ Regnum acceſſerint, eademq; immunitate præteritis ſeculis ſine alla contradictione & præpeditione gaviſæ ſint, quod vel unicum exemplum Legationis Terrarum & Civitatum Pruſſiæ, ad D. Sigismundum Regem a 1548. miſſa, evincere poteſt, ubi eandem Legationem Legati omnium Statuum Pruſſiæ,*

*una*

Digitized by Google

*una cum Equeſtris Ordinis & Civitatum minorum Nunciis ſubſcripſerunt, de quo videri poſſunt Jura municipalia Terrarum Pruſſiæ p. 73. usq; ad p 79. Et quamvis poſterioribus temporibus, neſcitur quo praetextu, cauſa enim nulla rationabilis dari poterit, ordo Equeſtris, minores Civitates a Conſultationibus publicis excludere intenderit, extant tamen deſuper Proteſtationes minorum Civitatum & harum Terrarum lauda & Reſcripta Regia, quibus minoribus Civitatibus activitas reſtituta eſt. Quid quod in hunc usq; diem non modo viventibus Sereniſſimis Poloniæ Regibus, ſed & Temporibus Interregnorum, a Celſiſſimis Principibus, Epiſcopis Varmienſibus, uti harum Terrarum Præſidibus, ad Conſultandum cum reliquis harum Terrarum Ordinibus vocamur & congregamur. Et ſane ſi Activitate excidere debuiſſemus, debuiſſet hoc fieri mediante Decreto Regio, quandoquidem Civitates nullibi niſi a Sereniſſimis Regibus, uti Supremis, directis & immediatis ſuis Dominis, judicari & judicatum pati poſſunt. Jam vero nullum ejusmodi Decretum contra nos allegari vel produci poterit, quin potius in contrarium obſtant, uti ſupra allegavimus, Reſcripta, Mandata, & Vocatoriæ Regiæ. Sed nec ulla nobis obiici poterit infamia, quæ ſola ab activitate nos removere & excludere deberet. Stantibus igitur hiſce fundamentis non videmus, quomodo a Conventibus publicis arceri & ab activitate ad ſolam mu-*

 *tam*

*tam aſſentiendi neceſſitatem, quaſi profani, honeſte & legitime reſtringi & alligari debeamus.*

## §. XXIX.

*De publicis Conventibus quorum origo a Temporibus Crucigerorum repetenda.*

Tantum de Pruſſiæ Ordinibus, cum quorum *communi Conſilio*, D. Caſimirus, ſuo, Sereniſſimorumq; Succeſſorum nomine promiſit, ſe *cauſas notabiles* Provinciam noſtram *concernentes, terminaturum, tractaturum & definiturum.* Ad modum venio, quo id fieri conſuevit. Sub Crucigerorum dominatu conventus publici indici ſolebant, qui Teutonico idiomate varia ſortiebantur nomina, latino Comitia dici poſſunt. His anſa dabatur, de publica neceſſitate conſultandi, mediaq; circumſpiciendi, quibus, ſi quæ patriæ ſalutem affligerent, amolirentur. Comitiis recuperata, excuſſo Teutonum jugo, libertas, ſervataq; ſub Sereniſſimorum Poloniæ Regum Imperio, priſcæ libertatis imago, debetur. Nec ignorabant Majores, quantum intereſſet retinere, in commune conſultandi poteſtatem: hinc totis viribus, ſe opponebant, quoties Crucigeri eandem eripere tentarent, manſitque intemerata, ſuſcepto a Caſimiro IV. Imperio, qui haud infra Majeſtatem ſuam duxit, aliquando Comitiis intereſſe.

§. XXX.

## §. XXX.

*Ordines ſua autoritate Conventus indicere poterant. Quid Sigismundus I. definiverit.*

At cum non in arbitrio Magiſtri Teutonici eſſet, indicere, aut non indicere Comitia, verum, illo licet repugnante, ipſi Ordines facultate coëundi, ſi quando res exigere videretur, gauderent, non minus, antiquus mos, mutato quamvis Domino, obtinuit. Qui enim Regis nomine, cum Imperio Provinciæ præerat, diem locumque Comitiis præfigere ſolebat, qua dignitate extincta, a Præſide Senatus, ordinario id factum ſcimus. Jam imperante Caſimiro laboratum eſt, privare hac poteſtate Prutenos, ſed miſſi Petricoviam ad Regni Comitia noſtrates, memorabant: licuiſſe ſibi Crucigerorum temporibus, ſine Imperantium conſenſu conventus indicere, eademque frequentare, quoties publica neceſſitas id exigeret. Provocantibus ad morem, qui in Polonia vigeret, Regni Senatoribus, reponebant qui ex Pruſſia aderant: „habere Prutenos ſuam conſuetudinem in
„commune conſultandi, quoties id e re eſſe vide-
„retur, hoc aliisque Juribus ſalvis, Regno Poloniæ
„acceſſiſſe Pruſſiam, ac Regiam Majeſtatem fidem
„dediſſe, ſancta fore omnia, quæ ſub Ordine Teu-
„tonico viguiſſent. Agere ſuis moribus Polonos,
„qui ne in leges tranſeant, ſummo ſtudio curatum
„iri„ (†). Regnante Sigismundo I. Ordines po-

 teſtate

(†) Vid. Schütz. L. VIII. f. 339.

teſtate indicendi Conventus exuti, ſiquidem in Conſtitutionibus quæ Anno 1526. Gedani, absque Civitatum Conſenſu, prodiere, non ſolum ordinariorum Conventuum mentio facta, verum etiam ſi extra ordinem conſultationes indicerentur, tempus locumque definire Regi, ceu peculiare quid, ſervatum legimus. Ibant Conſtitutiones has oppugnatum Civitates majores, memorabantque inter alia: „Non ſupervacaneum fore, ſi exprimeretur, Conſiliariis Terrarum Pruſſiæ, integrum eſſe, antiquo more, ſi quando id, Provinciæ neceſſitas exigeret, pro arbitrio coire, poſſe „enim contingere, ut quod in mora periculum, „non pateretur, Regem ut indiceret Comitia, orare„ Miror, igitur, ordines, cum Thorunii allegatas Conſtitutiones a. 1537. recenſerent, quæque legibus contraria videbantur, emendarent, ademtam indicendi conventus poteſtatem, ſibi non reſtituiſſe. Quamvis non diffiteor, Pruſſiæ Conſiliarios nihilominus credidiſſe, licere ſibi, ſi quando urgeret neceſſitas, haud data ſibi a Rege facultate, ſua autoritate coire.

*Initium Conventuum ordinariorum. Inde diviſio in Ordinarios & extraordinarios nata eſt.*

## §. XXXI.

Singula ergo Comitia, olim aut ipſe Rex, aut qui ejus vices in Provincia gerebat, in cujus locum Præſes Terrarum ſucceſſit, indicebat, tempore locoq; ex arbitrio conſtitutis. Sigismundus I. Ordinum

num conſenſu a. 1521. novitatem induxit, ſingulis annis, binos Conventus, alterum Menſe Majo ad feſtum D. Stanislai, Mariæburgi, alterum ad D. Michaelis Grudenti, ſanciendo, quod in Conſtitutionibus Gedani promulgatis, ſuffecta Marienburgo Dirſchavia, repititum legimus: licet non Dirſchaviam, ſed verno tempore Mariæburgum plerumq; confluxiſſe Conſiliarios, notum ſit. Ex hoc tempore Comitia in ordinaria & extraordinaria, dividi cœperunt. Annos aliquot præterlapſis, ſingulis, bis coire ſuperfluum videbatur; hinc a Rege poſtulatum, pateretur ſingulis annis, modo Mariæburgi, modo Grudenti, ſemel conventum fieri. Nec dictæ Civitates Ordinibus placere viſæ, Elbinga Thorunioq; præhabitis. Quid tamen obtinuerit, recenſitæ Thorunii a. 1537. Terrarum Pruſſiæ Conſtitutiones referunt. *Conventus autem publici*, verba legis recito, *ſeu generales, juxta proximam ordinationem, in Pruſſia quotannis, bis celebrentur, verno videlicet tempore Mariæburgi, ad diem Sancti Stanislai, tempore autem autumni in Graudentz ad diem S. Michaelis. In noſtro tamen erit arbitrio, cum res ita poſtulaverit, alium locum & tempus hujusmodi Conventibus praeſcribere. Peculiares autem Conventus per nos inſtituendi, locum & diem ex noſtro arbitrio ſortientur.* Imperante Rege Sigismundo Auguſto,

in-

in locum Grudenti, Thorunium ſucceſſit. Extraordinaria quod attinet Comitia, ea Rex aut ſuo arbitrio, aut poſtulantibus eadem Ordinibus, indixit. Poſterius factum ſcimus, ſi quando in ordinariis omnia perfici nequirent, aut ſi quid repens ex vicinia periculum metuendum eſſet. Nec hoc inſolitum, ante Regni Comitia, Prutenos extra ordinem, ad Conventum vocare, quo anſam haberent Reges, negotia ad ſolos Polonos ſpectantia, cum noſtris communicare, tentareq; num eos movere poſſint, ut ad Regni Comitia proficiſcerentur, ſimulq; Polonis innexi, de horum rebus agerent. Exempla paſſim in Annalibus occurrunt.

## §. XXXII.

*De Regiis Legatis, quomodo in Conventibus excepti auditique.*

In Pruſſiæ Conventibus de ſingulis, quae ad Provinciam ſpectabant, agi, & ſi quid ratum eſſe deberet, conſtitui oportuit. Rex mentem ſuam, vel legato, vel litteris miſſis, declarabat. Legatus, ſi quando adeſſet, Præſidem Terrarum de adventu certiorem reddere, Tempusq; quo audiretur, expetere ſolebat. Hoc Conſiliarii definiebant, legatumq; Caſtellanorum aut Succamerariorum unus, unusq; ex Civitatum majorum nunciis (†), honoris ergo, ex diverſorio in Senatum comitabantur. Ingredienti primus dabatur locus, ex quo, litte-

(†) Sequiori ætate nonnulli, ex inferioris Nobilitatis Nunciis additi ſunt.

litteris fidei exhibitis, Regiamq; clementiam præfatus, data ſibi in mandatis exponebant. Lingva id, ſi eandem calleret, Teutonica, ſecus latina, interdum Polonica fieri conſuevit: modo veniam peteret Orator, permitteretq́;, ut, Præſulum ſive Varmienſis ſive Culmenſis Cancellarius, aut unus ex cæterorum Conſiliariorum ſcribis, ea, quæ latine aut Polonice dicta erant, Teutonico idiomate repeteret. Legatione perorata, latine conſcripta Regia mandata, Conſiliariis exhibebantur. Hoc facto, Legatus ab iis, qui ipſum in Senatum comitati erant, in diverſorium deduci ſolebat, nec iterum vocari, niſi cum, conſcripto Reſponſo, dimittendus eſſet. Excipe, ſi quis Conſiliariorum legati munus obiret, tum enim peracto officio, debitum ſibi in Senatu locum occupare, conſiliisque intereſſe licebat.

## § XXXIII.

*Quid notandum, ſi ſecundi Ordinis ſtatus, ad publicum Conventum vocandi.*

Quod ſi Legatus in Mandatis haberet, quae ſine *Statuum* inferioris Ordinis conſenſu, perfici nequirent, hi quoque a Rege ad Comitia vocandi erant. Tempus, quo id fieri oporteret, quod attinet, olim quatuor hebdomadibus, antequam Conventus inciperet, litteræ invitatoriæ mitti ſolebant (†). Quibus non redditis, aut ſerius transmiſſis,

 adeo

(†) His contenta Regiæ Legationis addi ſolebant, quo ad ea

adeo ut equeſtris ordo cum minoribus Civitatibus, vel plane non adeſſent, aut ſi adeſſent, non, ut conveniebat, ſufficienti numero, aut, ut par erat, mandatis inſtructi, venire potuerint, Conſiliarii, in Reſponſo, quod Legato Regio, dabatur, allegare: non integrum fuiſſe, de rebus ad conſultandum datis, quicquam ſtatuere, quod inferioris Ordinis ſtatus, ad Conventum non rite vocati, interceſſisſent, differri ergo capita deliberandi in alia Comitia oportuiſſe.

## §. XXXIV.

*De modo, quo bis Regia voluntas indicabatur.*

Simulac ergo Nobilitatis minorumque civitatum Nuncii confluxiſſent, in Conclave Conſiliariorum ad audiendam Regiam legationem (*) acceſſebantur: quo facto, dabatur ipſis exemplum eorum, quæ legatus peroraverat, monebanturq; a Præſide, perpenderent accurate, quæ Regia Majeſtas fieri vellet, & quid ſibi videretur, commodo tempore referrent. Duplici interdum mandato Regius Orator inſtructus erat, alterum univerſos Ordines, ſolos Conſiliarios alterum reſpiciebat: poſterius

ea Nunciorum mandata componi poſſent: quod ſi non factum, Nuncii rem integram ad ſuos relaturi recipiebant. Idem ratione Conſiliariorum obſervatum, quo domi deliberarent, quod in Comitiis ſtatuendum, ſcirentq; civitates majores, quid Ablegatis ſuis in mandatis dari oporteret.

(*) Hanc ſtantes audiebant, conſiliariis aſſidentibus.

ſterius, quamprimum Nobilitatis civitatumq; minorum Nuncii, ad ſuum conclave (*) ſeceſſerant, aut etiam alio die, Conſiliariis enarrabatur.

§. XXXV.

*De Suffragiis ad Regiam Legationem.*

Inferioris Ordinis *Statibus* ſemotis, Præſes Regiam voluntatem repetebat, vota colligebat, diſſidentiumq; ſuffragia ad concordiam revocare nitebatur. Nobilitatis minorumque Civitatum nuncios quod attinet, hi finita deliberatione, aut ad dicendam ſententiam diem horamque poſtulabant, aut donec vocarentur, expectabant. Equeſtris Ordinis mentem, electus eam in rem Orator, Mareſchalcum hodie vocamus, minorum Civitatum, vero Mariæburgenſium ablegatus (†), quorum Civi-



[*] Notandum, Status ſecundi ordinis, in peculiari conclavi conſilia ſua agitaſſe, Conſiliariosq; tum demum ad capita Regiæ Legationis inſtituiſſe deliberetionem, cum illi diſceſſiſſent. Hinc Proceribus peregrinum videbatur, cum a. 1587. Nobilitas poſtularet, ut conſilia, Nunciis adſtantibus, fierent: & licet indulgentia Conſiliariorum, equeſtris ordo aliquoties, ad finem Comitiorum usq;, in conclavi Senatorio manſiſſet, nihilominus in Conventu Mariæburgenſi a. 1590. mos antiquus reſtitutus, diſcedereq; Nobilitatem oportuit, antequam Conſiliarii, legationem Regiam ad examen revocarent.

(†) Scilicet ſi minoribus civitatibus cum ordine Equeſtri non conveniret, aut illæ peculiare quid, quod ad Senatum referrent, haberent: ſecus fieri conſuevit, ut Nobilitatis Orator, ſimul mihorum Civitatum ſententiam diceret,

Digitized by Google

tas inter minores prima, dicebat. Quod ſi in diverſa abirent ſententiæ, diſſidentes componere, inque opinionem, quæ Senatui placuerat, flectere, Præſes laborabat. Cum vero operam perderet, Reſponſo, quod ad Legationem Regio Oratori dabatur, inſeri ſolebat: „ de iis, quæ Rex po„ſtulaſſet, his illisq; contradicentibus, nil definiri „potuiſſe; petere ordines, Regia Majeſtas aut „mentem mutaret, aut rem in proximum Con„ventum differre haud dedignaretur„. Cæterum veteris ævi monumenta perhibent, Prutenos in negotiis quæ Patriæ libertatem ſalutemq;, reſpicerent, pulchre conſpiraſſe, & ſi quis forte diſſentiret, ſaniora doctum, ſine ſtrepitu cæteris acceſſiſſe. Maxima tum emicuit diſcordia, ſi quando Rex nova exigeret tributa, nec tamen conſtaret, quæ jam pependiſſet Provincia, in Reipublicæ commodum verſa, neque ea, quæ modo poſtularentur, in communem utilitatem verſum iri.

## §. XXXVI.

*Præter quam & de aliis Reipublicae commodis incommodisve agi ſolebat. De modo dimittendi Regios Oratores.*

At non ſolum circa Regiam Legationem hærebant ordines, verum quæ Provinciam affligere videbantur, diligenter excuſſiſſe, de Juribus, ſi forte læſa, conſultaſſe, iisdemque in futurum proſpexiſſe, legimus. Ipſi ſecundi Ordinis *Status*, ſui haud immemores, quibus premebantur, ſcripto

Sena-

Senatui enarrabant, medelamq; petebant: nec hic, modo penes ipſum ſtaret, opem negabat; ſeu, gravamina ad Regem ſe relaturum, Ejusq; Majeſtati ſupplicaturum, pollicebatur. Præterea, ſi ita viſum, novæ condebantur leges, quas promulgari ſub ſigillo Terrarum Pruſſiæ (†) jubebant Ordines. Cum ergo nihil, de quo conſultaretur, reliquum, aut quod reſtaret, in futura Comitia differri oporteret, Regius Orator, ad excipiendum Reſponſum, præſentibus iis, qui in Conventu aderant, vocabatur. Hæc gentis noſtræ in dimittendis Legatis, conſuetudo, ut prius ipſum Reſponſum prælegant, poſtea, qvo ad Regem deferatur, ſcripto, ſub ſigillo Terrarum Pruſſiæ, tradant. In eo continentur, quæ ad Regia poſtulata rata habuere Ordines, quibus publica gravamina, & quicquid in conventu actum, addi ſolent. Quamvis ſæpe factum memini, ut gravamina, in peculiari ſcheda deſcripta, vel Regio Oratori, vel qui nomine Provinciæ, Regem ſalutaret, Legato, exhiberentur.

## §. XXVII.

*Quod ſi Rex Litteras ad Conventum miſerit, aut nihil Ejus nomine delatũ fuerit, quid tum actũ ab Ordinibus.*

Hæc de Regia Legatione: ſi vero Ejus Majeſtati placeret, Litteris mentem ſuam Ordinibus declarare, recitabantur eædem in Senatu, ac cum inſe-



(†) Quod penes Elbingenſes ſervabatur. Impreſſio Sigilli, quibusdam ex Conſiliariis præſentibus, fiebat.

inferiori Nobilitate minoribusq; civitatibus, modo eaſdem reſpicerent, communicabantur. At cum neque Litteræ Regis nomine redditæ, nihilominus, qui coierant, ordines, publica Negotia expendere, Regemq; vel litteris, vel miſſo Legato, eorum, quae in Comitiis geſta erant, certiorem reddere, conſvevere.

§. XXXVIII.

*Quæritur: Num olim Pruſſiæ Ordines, Polonis accenſi, nexusq; aliquis inter Provinciæ Conventus, & Regni Comitia fuerit. Prutenorum judicium. Polonorum molimina Prutenos & Regnicolas in unam gentem confundere, quibus a Noſtratibus obviam itum eſt.*

Antequam ulterius progrediar, ad quaeſtionem, num Pruſſiæ, ad Poloniæ Ordines pertinuerint, numq; inter provinciæ noſtræ, ac Regni Comitia, nexus aliquis interceſſerit, reſpondebo. Qui antiqua tempora ad normam præſentis ævi metiuntur, ſine ſcrupulo quæſtionem affirmabunt. Vident enim ex Pruſſia Epiſcopos, Palatinos, Caſtellanosque in Senatu Polonico locum occupare, ſuffragia dicere, Regni negotiis ſæpe adhiberi; conventus vero Prutenicos, ſi Comitia Regni reſpexeris, in conventus, ut loquimur, Ante-& Poſt-Comitiales dividi, & Comitia non ſolum a Provinciæ Conſiliariis, verum etiam ab equeſtri ordine, miſſis eo Nunciis, frequentari. Sed operæ pretium videtur, paucis recenſere, quid de hac novitate Majores noſtri ſenſerint, cui meam ſententiam, moribus antiquis fultam, ſubjungam. Cum in Comitiis Coronationis Henrici Andegavenſis, ii, qui ex Pruſſia aderant Conſiliarii, in peculiari ſcripto, de-

demonſtraſſent, Provinciam noſtram peculiarem ac a Regno diſtinctam Rempublicam ſemper conſtituiſſe, his tandem verbis concludebant: „Eam „igitur, quam diximus, ſeparatam & ſuis propri-„is ſignis diſtinctam Rempublicam, nobis Majo-„res noſtri per manus tradiderunt, quam nos eti-„am ad hæc usque tempora noſtra, ſupra centum „& aliquot annorum ſpatium, pacifice & quiete „retinuimus, donec paucis abhinc annis, quidam „ex Conſiliariis terrarum Pruſſiæ, ad Comitia Re-„gni præter morem evocati & in Senatum Regni „pertracti, Terras Pruſiæ earumq; rationes, ſum-„mo cum detrimento & irreparabili damno poſt-„ponere, & de rebus Regni ad ſe nil pertinenti-„bus, in medium conſulere coacti fuerint, non cer-„te ob Conſiliariorum Regni aliquam inopiam, „ſed ut novæ unionis jugo nobis impoſito, omni-„bus libertatibus & prærogativis præter noſtrum „meritum exueremur„. Sub hoc novæ unionis Jugo, ad noſtram uſq; ætatem gemuit Poſteritas! Loquuntur Annales, ex quo Pruſia, Regi Poloniæ ſe ſubmiſerit, uſq; ad Imperium Sigismundi Auguſti, ſollicite caviſſe Conſiliarios, ne Senatui Polonico adſcriberentur. Equidem non diffiteor, jam ſub Caſimiro IV, &, qui ipſum poſt Johannem Albertum & Alexandrum, excepit, Sigismundo I. laboraſſe Polonos, ut hodiernus mos obtineret.

neret. Eo fini, negotia, licet ſolam Poloniam concernerent, cum Pruſſiæ Conſiliariis communicari, de iis conſuli, hocque inſigne aliquod decus imputari, ad Regni Comitia vocari, locus in Senatu oſtendi, addito: „Pruſſiæ Poloniæque Ordines unius Principis eſſe Conſiliarios, meminerint ergo Pruteni, fratres ſe eſſe Polonorum, nec ſeparationem aliquam molirentur„. Verum Pruteni perpetuo regeſſerunt: „Nil ſibi cum rebus Poloniæ, fruſtra conſuli, cum, quid Regni ſalus exigat, ignorent, curare, ne quid detrimenti capiat Pruſſia, hoc ſibi impoſitum munus: id in Conventibus qui Provinciæ peculiares, fieri, Comitiis Regni intereſſe nec velle nec teneri. Poloniæ Proceres, Pruſſiæ conventus non freqventare, nec ſi vellent, quod non indigenæ, admiſſum iri; petere ergo Prutenos, idem ſibi, ratione Regni Comitiorum, liceat: pacta enim intercedere, quo minus ad onus patriis Juribus adverſum, cogantur„. Hæc, quæ, ore majorum non uno tempore prolata, in unum quaſi cumulum congeſſi, multis poſſem exemplis illuſtrare, verum quoniam eorum in Annalibus tam ingens copia, ut fere primo intuitu occurrant, lectores meos eo remitto.

§. XXXIX.

Digitized by Google

## §. XXXIX.

Nec aliter loqui poterant Pruteni, ſi ad ſenſum legum componere verba vellent. Etenim in Pacto Deditionis ſpondet Caſimirus Rex, ſe omnes *cauſas notabiles* Provinciam Pruſſiæ *concernentes, cum communi Conſiliariorum conſilio, terminaturum, tractaturum*, & definiturum; removet ergo ea negotia, quæ Provinciam noſtram non reſpiciunt: ſecus, poſt defectionem, deteriorem Prutenorum conditionem factam, ac ſub Imperio Ordinis Teutonici fuerat, neceſſe eſt. Erat ſummus Ordinis Magiſter, Princeps Romani Imperii: hac dignitate conſpicuus, Germanorum Comitiis, aliisque Procerum conventibus intererat: non tamen vocati Pruſſiæ Ordines, neq; unquam extra Provinciam coire, moris fuit. Rex Poloniæ ſola civium voluntate, pactis intervenientibus, Pruſſorum Rex conſtitutus, Polonis imperare non deſiit; pariter Prutena gens, eadem quæ fuit, manſit; hac ſola differentia, ut cum antea Principi Germano, jam Polono Regi obſequeretur, cujus extranea negotia, pari modo curatura, ac olim ditionibus Ordinis Teutonici, in Germania ſitis, proſpexiſſet. Idem ex definitione Indigenæ, ſi quando publicis muneribus admovendus, colligitur: Jubent enim leges, ut non ſolum in Pruſſia natus, intraq; Provinciæ fines bona *terreſtria* poſſideat, verum etiam

*Pruſſiæ Conſiliarios, Senatui Polonico, ſalvis Juribus, haud adſcribendos oſtenditur.*

H

am ut extra Pruſſiam, in Polonia ſcilicet, nullam ſpartam obeat, licet idem Rex & Pruſſiæ & Poloniæ imperet. Non ergo video, quo Jure Prutenus Conſiliarius, in Polonia Senatorem agere, populiq; rebus conſulere poſſit, cujus lingvam, mores, commoda, formamq; Reipublicæ ignorat; nec aliter de Regni Senatoribus ſtatuendum, ſi Pruſſiæ negotiis adhiberi velint. Cum vero olim res obvenerunt, quæ præter Pruſſiam, ipſum Regnum concernerent, utriusq; gentis Proceres in conſilium adhibiti, qui ea in medium protulere, quæ legibus, Salutiq; Patriæ conformia videbantur: non tamen gens gentem ſibi poſtponere, aut quae potentior, minus potenti ſententiam ſuam, legis inſtar, cum imperio obtrudere auſa fuit.

§. XL.

*Tollitur objectio, quaſi Noſtrates, antequam Sigismundus Auguſtus imperaret, Regni Comitia frequentaſſent.*

Sed forte quis obiiceret, ex Chronico Caſparis Schutzii, &, qui illud excipiunt, Annalibus noſtris, abunde patere, Pruſſiae Conſiliarios, antequam Sigismundus Auguſtus imperaret, frequentaſſe Regni Comitia, ac cum Senatoribus in commune conſuluiſſe. Factum non diffiteor; utiq; Pruteni, ante ætatem Sigiſmundi Auguſti, Comitiis interfuere, nihilominus Regni Conventus ad Prutenos quicquam pertinuiſſe, iterum nego. Nulla hic, uti videtur, contradictio. Etenim Pruteni, ſi quando ad Comitia profecti, non quod obſtricti, ſed quod

quod ita e re viſum, ſponte venerunt, iidem vocati, ſaepe haud adfuere, antiquos mores avitamque conſuetudinem, cauſam abſentiae praetexentes: quod ſi tamen ad Comitia proficiſci placuiſſet, non ſinguli Conſiliarii aderant, ſed lecti nonnulli (†), qui ex praeſcripto mandatorum, nomine totius Provinciae, negotia curarent. Hi, ſive in Regio conclavi, ſive in conſeſſu Procerum Regni, quæ ſibi in mandatis, exponebant, ac perorata legatione, petebant, „vellet Regia Majeſtas, „Senatoribus remotis, ſolum cum iis qui ex Pruſ„ſia adeſſent, de his quae audiviſſet, conſultare, nec „permittere, ut Procerum Poloniae arbitrio „ſubmitterentur„. Quo facto Pruteni aut diverſoria ſua repetebant, aut e longinquo ſpectatores eorum, quae in Senatu agebantur, ſedebant, ac de rebus quae ſolam Poloniam concernerent, ſententiam ſuam dicere ſummo ſtudio averſabantur. Antequam dimitterentur, aut cum Rege, aut ſoli, conſilia agitabant, haud quenquam ex Senatu Polonico admittentes. Si quando Rex exigeret, de quibus Legatis nihil præſcriptum erat, hi ad defectum mandatorum provocantes, rem ad Suos



(†) Sub exitum Imperii Sigismundi I. ſæpius iis ex Equeſtri ordine & minoribus civitatibus, nonnulli adjungi coeperunt, quod ante ea tempora rariſſime factum legimus.

relaturos pollicebantur; interdum petebant, vellet Regia Majeſtas, in proximo Pruſſiae Conventu, ſingulis Ordinibus mentem ſuam declarare. Alia tamen ratio, ſi de negotiis ageretur, quae juxta Poloniam, Pruſſiam afficerent, tum enim aſſidentibus utriusq; Gentis Proceribus, deliberatum, quamvis hoc Prutenis proprium, ut unus eorum, omnium nomine, re antea diligenter excuſſa, ſententiam diceret: quod & oblato ſcripto, factitatum ſcio. Exemplum, cætera omittam, in Comitiis Petricoviæ ſub exitum anni 1547. & ſub initium ſequentis, habitis, occurrit. Hoc modo Polonorum Comitiis, antiquis temporibus, Prutenos interfuiſſe conſtat, unde non ſequitur, Prutenos, quaſi Regni ordinibus accenſi, ut Comitia frequentarent, obligatos fuiſſe: ſecus idem de extraneis Principibus dicendum foret, qui cum nova indicuntur Comitia, Legatos eo mittere conſuevere.

*Verum conſtare, auctoritate Decreti Lublinenſis, potiorem partem Conſilii Prutenici, Senatui Polonico junctam, coactosq; noſtrates, ut ſingulis Regni Comitiis interſint.*

## §. XLI.

Interea omnem moverunt lapidem Poloni, quo Pruſſiam, in formam cæterorum Regni Palatinatuum redigerent; ſcilicet ut ipſi Conſiliarii Senatoribus adjuncti, Polonorum conſiliis adeſſe, ac equeſtris Ordo, lectis Nunciis, ad Comitia itit are cogerentur; adhæc Conventus in Pruſſia, quibus olim cum Regni Comitiis nihil commune, iisdem, ad inſtar *particularium* in Palatinatibus Regni conven-

ventuum, praeirent. Tandem adverſariorum pervicacia eo ventum erat, ut Sigismundus I. cum a. 1529. ſucceſſor deſignaretur Sigismundus Auguſtus filius, Ejus nomine fidem obſtringeret, Ipſum, ſuſcepto poſt Patris obitum, Imperio, curaturum, ut Pruteni, poſthabitis eorum Juribus, Regno uniantur, ad ejusq; leges toti ſe componant: quod pactum cum Sponſione quam idem Sigismundus Rex, anno ſequenti, Prutenis dedit convenit: „ Scilicet „ polliceri ſe, quod quandocunq; Sereniſſimus filius, poſt obitum Patris, ad aetatem legitimam perveniens, poſſeſſionem Regni & dominiorum adire voluerit, teneatur, Prutenis id totum præſtare, quod Anteceſſores Reges Poloniæ „ & ipſe Pater praeſtiterunt ex debito, videlicet quod jurare debeat omnia Jura, libertates & Privilegia, litteras immunitatesve earundem Terrarum Pruſsiae - - manutenere, „ ſervare, cuſtodire & attendere, in omnibus conditionibus & punctis velle &c„. Poſt obitum Sigismundi I. magno animorum motu egerunt Poloni, ut Sigismundus Auguſtus fidem Patris liberaret, nec quievere, donec a. 1569. Decreto Lublini promulgato, Conſilii Prutenici potior pars, Senatui Polonico jam adſcripta, in Comitiis adeſſe, equeſtris ordo, Nuncios eo mittere juberetur

tur (*): quo jure, alio loco excutiam definiamque. Ex hoc tempore Norma Regiminis Prutenici, mirum quantum, immutata. An, & quodnam inde in Provinciam noſtrum derivatum commodum, an vero iis accedendum, qui olim dixere, ex Seſſione in Senatu Polonico, veluti ex equo Trojano, cætera mala, quæ hodienum Patriam affligunt, deſcendiſſe, id ſequentium Temporum Hiſtoria, ſine ira & ſtudio tradet.

## §. XLII.

*Sequuntur cauſæ notabiles non niſi adhibitis Ordinibus tractandæ.*

Reſtant *cauſæ notabiles*, quas, non niſi adhibitis Conſiliariis, *tractaturum definiturumq́;* D. Caſimirus ſpopondit Veniunt hoc nomine, Regalia vulgo ſic dicta, ſive Jura Majeſtatis, quæ Princeps vel ſolus, ex arbitrio, vel, communicata cum Ordinibus poteſtate, conjunctim cum iis exercet. Poſterius in Pruſſia noſtra obſervatur, quod per ſingula Jura Majeſtatis, latius demonſtrabo.

## § XLIII.

*De Poteſtate, indicendi gerendiq; bella.*

Pertinet huc primum poteſtas, bella tum indicendi, tum gerendi. Regis Poloni Imperio Prutenis accedentibus, jam inter ipſos & Equites Teu-

(*) Fuſius hæc in Annalibus, qui Res ſub Sigismudi Auguſti Imperio, geſtas recenſent, memorabo, prætenſamque Decreti Lublinenſis æquitatem, ſub anno 1569. ad trutinam revocabo.

Teutonicos hoſtilia coeperant, ac ipſe Caſimirus arma armis juncturum, recens in fidem receptis, promiſerat. Flagrante bello, ſæpe cum Prutenis conſultatum, quibus modis ſine clade Gentis trahi bellum, aut pace haud indecora, confici poſſet. Si quid a Polonorum Præfectis neglectum Provinciæ ordines libere locutos, ſimul quid in futurum ſtatuendum, candide aperuiſſe, Hiſtoria memorat. Cum Caſimirus electum a Capitulo Varmienſi, Præſulem, Nicolaum Tungenium, armis dioeceſi pellere intenderet, profectus in Pruſſiam Rex, rem ad Ordines, indicto Mariæburgum conventu, retulit. Hi Regia mente intellecta, reponebant, haud facile futurum ut moveatur novum bellum; Elbingenſis enim Gedanenſisq; civitatum ablegatos negaſſe, quicquam, quod in tam ardua re conſulerent, ſibi mandatum. Præterea civitates majores monebant, minoribus non vocatis, nihil poſſe conſtitui (*). Antequam inter Regem Sigiſmundum, & Magiſtrum Teutonicum, Albertum Brandeburgenſem, ad arma ventum, hortabatur Rex, qui Mariæburgum a. 1518. venerant, Ordines: „conſilia inirent, num, laceſſita tot in„juriis Regia Majeſtas, Albertum bello aggredi, aut „quibus mediis, eundem ad obſequium redigere deberet

(*) Schutzius L. VIII. f. 358.

„ deberet „. Iterum in Comitiis Petricovienſibus & Thorunenſibus conſulti Ordines, (†) bellum unanimi ſuffragio decreverunt. Sequentium annorum monumenta memorant, eundem Sigismundum I. de avertendo Turcarum diſcrimine, ac de occurrendis, quæ ex Germania Crucigeri, aliiq; in vicinia populi, minitabantur, periculis, Prutenorum mentem ſæpius exploraſſe.

## §. XLIV.

*Tributa non niſi Ordinum conſenſu Provinciæ imperabna.*

At non bellum ſine milite, nec miles ſine ſtipendiis conduci, neq; ſtipendia ſine imperato Provinciæ Tributo colligi poſſunt. In hoc Regum poteſtas adeo circumſcripta, ut praeter ordinarios proventus, ne obulum a Provincia exigere queant. Quod ſi e re viſum, extra ordinem imperare pecuniam, de eo in publico conventu agi oportebat. Ordines tum operoſe excutiebant, num id ingruens quædam neceſſitas poſtularet, & num Provincia conferendis nummis ſufficeret. Stabat res penes eorum arbitrium, ac in flagitatum a Rege Tributum interdum conſenſiſſe, interdum illud diſtuliſſe, interdum negaſſe invenio. Quod ſi prius obtineret, modus contribuendi definiendus erat. Eundem plerumq; *Acciſa* braſei, ab iis, qui pagos juxta, ac civitates incolunt, pendenda, conſtitu-

(†) Schützius L. X. f. 455. 486.

ſtituebat; hodiernæ enim *poborræ*, ut vulgo vocantur, quas ordo Equeſtris ſolvit, cum cæteris novitatibus ex Polonia in Provinciam noſtram irrepſere, nec leves concertationes, imperante Stephano, inter Nobilitatem & civitates excitarunt. Adhæc quantitas Acciſæ, a ſingulis braſei modiis, uno, binis, aut pluribus ſolidis imperatis, conſtituta. Quousque eadem duraret, num uno aut pluribus annis, quando inciperet, quandoq; finiretur, unanimi ſuffragio præſcribi ſolebat. Interdum ſub conditione, ſcilicet ut Rex, quæ Provinciam premerent, gravamina tolleret, &c. Ordines ſciviſſe tributa invenio. Audito Ordinum conſenſu, Rex, qui pecuniam exigerent, eandemq; Terrarum Pruſſiæ Theſaurario, receptis Apochis numerarent, nominabat (†). Num hi omnia ex fide egerint, hæreo, quippe conſtat, Conſiliarios Regiæ Majeſtati aliquoties ſupplicaſſe, ut ſibi exactæ pecuniæ ratio redderetur, quo ſcirent, num quid in proprios uſus verſum, & num omnes contributionem pependiſſent. Collatam pecuniam Theſaurarius in Arce Mariæburgenſi ſervabat, donec Rex ſibi mitti aut aliis numerari juberet. Exempla proſtant, Ordines, ſi quando ab hoſtibus repentinum incur-



(†) Epiſcopi, civitates majores, &c. ipſi a ſuis pecuniam colligere, eandemq; Theſaurario, apochis receptis, numerare ab antiquo conſuevere.

ſum metuerent, oraſſe Regem, pateret ad Theſaurum aditus, idq; Ejus Majeſtatem Procerum precibus indulſiſſe. Congeſta hoc modo pecunia, unice in Provinciæ ſalutem ac commoda expendi debuit, deprehenſum tamen plus ſimplici vice, eandem, in alios uſus conſumtam: habes cauſam, cur Ordines paucis ante Exceſſum Sigismundi I. annis, peculiarem arcam, tribus ſeris roboratam, in quam ſcitam eo tempore contributionem reconderent, poſtularint, voluerintq; ut una clavis penes Conſiliarios qui ex equeſtri ordine leguntur, altera penes civitates majores, tertia penes Theſaurarium eſſet. De Theſaurario Provinciae noſtrae paucis notandum, tantum abeſſe ut Regni Theſaurario ſubſit, ut potius nullum inter utrumque commercium intercedat. In promptu cauſa eſt, ſi, quæ ſupra dixi, in memoriam revocentur, ſcilicet, Pruſſiam ſub eodem Rege, Juribus a Poloniæ Regno ſejunctam, peculiarem conſtituiſſe Rempublicam. Inde cum Sigismundus I. Regni Theſaurarium rei monetariæ præficeret, obloquebantur Ordines, Provinciæ Theſaurarium allegantes, cui cura hæc demandari deberet. In Conventu Grudenti a. 1587. habito, a Nunciis Nobilitatis poſtulatum, legeretur peculiaris Provinciæ Theſaurarius, quoniam Culmenſis Caſtellanus Joh. Dulskius, eodem tempore, & Pruſſiæ & Po-

Poloniæ

loniæ Theſauro præeſſet, metuendum vero, ne moti hoc exemplo, Poloni colligerent, poſſe Regni Theſaurarium, utriusq; Gentis gazam curare.

## §. XLV.

*Prutenos, ad ferendam Regno Poloniæ opem, ſive milite, ſive nummis haud obligatos, oſtenditur.*

Monui, ſi quando a Rege novum tributum poſtulatum, ſollicite expendiſſe Ordines, num id Provinciæ neceſſitas exigeret: at exigi videbatur, cum periculum aliquod immineret. Equidem veteris ævi Annales memorant, Majores noſtros in Regni quoq; commoda pecuniam aliquando contuliſſe, hac tamen ſubjuncta clauſula, non id ex debito, ſed ſponte fieri, quo pateret, Prutenos, non ſolum obſequi, ſed & colere Reges ſuos didiciſſe. Pleriq; forſan, qui noſtra legerint, mirabuntur, credentq;, teneri noſtrates Regno ſuppetias ferre, quoniam Poloni, Prutenis olim, adverſum Equites Marianos haud perfunctoriam opem præſtiterint. Non ergo credo incongruum erit, ſi rem diligentius excutiam, & quæ necti ſolent dubia, ſolvam. Spondet in *Pacto Deditionis* Divus Caſimirus, *pro Se Hæredibus & Succeſſoribus* ſuis *ac univerſo Regno Poloniæ, quod Terras* Pruſſiae *& Dominia atq; Prælatos ſpirituales & ſeculares, Barones, milites, Nobiles, cives, Oppidanos, & cujuscunq; conditionis, ſtatus, & præeminentiæ homines exiſtant, hactenus in illis commorantes & impoſterum commoraturos, fa-*

*vore, gratia, benevolentia & affectione Regali* proſequetur, & *contra quaſcunq; adverſitates, impugnationes quorumcunq; hominum illis* præſtabit *velut fidelibus & ſubditis* ſuis, *Regalem aſſiſtentiam & defenſam.* Hæc quamvis abunde explicent, quid auxilii Prutenis, ſi quando bello petantur, a Regibus expectandum, de eo tamen, quod ipſi debeant, cum Reges, in Polonia, Litvania cæteriſq; ditionibus arma circumferre cogantur, ſiletur. Incaſſum dicitur, „parem eſſe Regis, gentiſq; noſtræ obligationem, ac Prutenos teneri Regibus ſuis ubique „aut milite aut nummis adeſſe, quoniam SUO „SERENISSIMORUMQVE SUCCESSORUM „nomine fidem dedit Divus Caſimirus, non deſertum iri Provinciam, quicquid ab hoſtibus tentatum fuerit„: talia enim ut probentur merito requireres; ſiquidem pacta novimus quæ utrumq; contrahentium haud pari modo obligant, manetq; in ambiguo, an, quod Divus Caſimirus ſpopondit, ad hoc genus pactorum referendum ſit, nec ne? Prius aſſeruerunt Noſtrates. Cum enim memoratus Rex annis 86. 87. 88. quinti ſupra decimum ſeculi, miſſis ad Conventus Oratoribus, opem adverſum Turcas aliquoties exigeret, hique arctiſſimam, quam Prutenis cum Polonia intercedere putabant, unionem allegarent, indeque æquum, Regnicolas conſilio & auxilio ſublevare,

non

Digitized by Google

non minus ac Poloni, contra Equites Teutonicos, arma ſua Prutenorum armis junxiſſent; regerebant Provinciæ Ordines. „Licet Regno Poloniæ inne„xos, haud diffiterentur, ſcire ſe tamen, hoc ſalvis „Privilegiis contigiſſe, quæ belli ſubſidia Pruſſiæ „limites exire haud paterentur: ita ergo Regno u„nitos, ut ei incumbat Pruſſiam tueri, nec viciſſim „Pruſſia teneatur Poloniæ, ſi quando cum Turcis „aut aliis in vicinia hoſtibus bellandum, ſuccurre„re„(†). Idem a. 1489. locuti Provinciæ Conſiliarii, de quo *Schützius* l. c. f. 376. evolvendus. Dum in allato ex Schütziano Chronico loco, Privilegiorum mentio fit, ad Privilegium Culmenſe reſpicitur; in quo Mariani Equites olim, incolas Terræ Culmenſis, expeditionibus bellicis ultra limites ſuſcipiendis, exemere. Hoc Privilegium deinceps univerſæ Pruſſiæ ceſſit, & quotquot eandem incolebant, neq; militem neq; nummos ſuppeditare tenebantur, ſi extra Patriam bellum gereretur. Equidem memini, Crucigeros interdum utrumque extorſiſſe; at quotiescunque id fieret, vim Privilegio inferri, continuo queſtos Prutenos conſtat. Cum vero hoc cæterisque ſalvis Pruſſia Regno Poloniæ acceſſit, ſequitur, præter id, quod antiquis Dominis jure debebatur, ſub Sereniſſimorum Re-

 gum

(†) Schützius L. VIII. f. 372.

gum Imperio, nil poſſe exigi. Ad hunc ſenſum verba componebant Ordines, cum a. 1490. a Divo Caſimiro, ad expeditionem adverſum Turcas Tartaroſque invitarentur: „quo minus, ajebant, ar-„ma cum Polonis contra Barbaros jungerent, Pri-„vilegia intercedere; hæc, cum Regiæ Majeſtati „debeantur, nondum expiraſſe, & ſi expiraſſent, ni-„hilominus ſub impotenti Crucigerorum Domi-„natu, hanc Genti fuiſſe immunitatem, ut, ad bel-„la extra fines proficiſci haud teneretur, iis vero, „qui ultra progredi vellent, ſtipendia numeraren-„tur„ (†). Idem litteris, ad Sigismundum I. datis, a. 1531. repetitum eſt; *Non ignorant*, verba allego, *Domini Conſiliarii Regni, Terras Pruſſiæ, etiam ſub ditione Ordinis exiſtentes, ac ſemper usq; in præſens, non ſolum præſcripta conſuetudine & obſervantia, ſed etiam peculiaribus ſuper hoc conceſſis Privilegiis, munitas & conſervatas fuiſſe, in immunitate talium expeditionum, quas extra Terras Pruſſiæ fieri contingeret, ad quas vel perſonaliter faciendas, vel ſuppetiis juvandas, ſi quando ipſi Pruteni requiſiti fuerint, ſemper ſe, hujusmodi ſuorum Privilegiorum & antiquorum Jurium præſidio tutati ſunt, & immunes permanſerunt.* Plura hinc inde in Annalibus occurrunt exempla, unicum, quod ad annum 1543 memora-

(†) Schützius l. c. f. 381.

Digitized by Google

moratur, addam. In Reſponſo, quod in Conventu Mariæburgenſi Regio Oratori datum eſt, inquiunt Ordines: *Majores Tyrannidi* Crucigerorum *ſe ſubducentes, non bello aut armis, ſed ſpontanea voluntate, inclito Poloniæ Regno ſe ſubdidiſſe, non ut ſervitutem priſtina majorem obirent, non ut ipſi Regnum defenderent, quæ vel cogitata, illos a deditione abſterruiſſent, ſed ut ſe in libertatem aſſererent, ut a Regno defenderentur, ut intra ſuos fines ab externo metu, ſub Protectione Regia eſſent tuti.*

## §. XLVI.

Verum his, quæ dixi, *Sponſio*, ut vulgo vocamus, *Reciproca*, opponi ſolet. Plana, quae huc pertinent, videntur verba: *Promittentes*, nomine Prutenorum aitur, *præfato Domino Caſimiro Regi, & ſuis Succeſſoribus Regibus Poloniæ, in omnibus felicibus adverſis & quibuscunque caſibus, ope, præſidio, conſilio & auxilio, fideliter contra quoscunque eorum hoſtes & adverſarios, & quascunque perſonas Eccleſiaſticas vel ſeculares, quacunque præfulgeant dignitate, communitates, univerſitates, & ſignanter contra Magiſtrum & Ordinem quondam Pruſſiæ, Almaniæ & Livoniæ fideliter, corpore, animo & rebus & cum effectu aſſiſtere, - - - nec unquam colore, arte, neceſſitate, caſu, opportunitate vel ingenio præfatum Dominum Caſimirum Regem & ſuos Succeſſores* *Ad Objectionem ex Reciproca Sponſione allatam reſpondetur.*

*Reges & Coronam Poloniæ deſerere.* At haud inde elicueris, quæ ii deprehendiſſe ſibi perſuadent, qui noſtram aut potius totius Gentis ſententiam, oppugnatum eunt. Promittunt Pruteni, *Regi Caſimiro, Ejusque Sereniſſimis Succeſſoribus, contra quoscunque Eorum hoſtes & adverſarios, corpore, animo & rebus, cum effectu aſſiſtere;* nec, Noſtrates ad id obligatos, diffiteor; modo in hoc rei cardo vertitur, quousq; promiſſa *aſſiſtentia* ſe exſerat, num eadem omnes Poloniae ditiones reſpiciat, an vero ipſis Pruſſiæ limitibus circumſcribatur. Nihil *Reciproca Sponſio* definit, igitur circa veterem conſvetudinem ſubſiſtendum, quæ, prout præcedenti §. evici, Prutenos, ad Patriæ Principisque ſui defenſionem, ſolum intra fines Provinciae obligat. Manſit hæc immunitas, facta in Regis Poloniæ fidem deditione; provocatum ad eandem poſt factam deditionem; nefas ergo, quicquid eidem adverſatur. Cæterum haud ignoro, Noſtrates, *Reciprocæ Sponſioni*, ſcripto veluti ſuppoſititio, omnem detraxiſſe fidem; nec id ſine ratione. Quæ enim cauſa, quod eandem Divus Caſimirus Ejusque Sereniſſimi Succeſſores, non allegarint, quoties opem adverſum Regni Poloni hoſtes exegerint? Sub Imperio Sigismundi I. ad antiqua fœdera provocatum memini, at cum a Prutenis reſponſum, ignota ſibi eſſe fœdera, quæ mutuam

opem

Digitized by Google

opem requirant, quicquam regerere haud auſi Poloni. In Comitiis Petricoviæ a. 1562. habitis, iis qui ex Pruſſia aderant, in pergameno conſcriptum, ac quadraginta Sigillis roboratum, vetus, ut ferebatur, documentum, praelegi juſſit Sigismundus Auguſtus, quod alii *Reciprocam Sponſionem* fuiſſe volunt: at Pruteni Deum Teſtem invocabant, nihil, ne fando quidem, de ejusmodi ſcripto, ſibi hactenus conſtitiſſe. Et ſi verum fateri liceat, hæc Sigillorum copia, neſcio quam, fraudem arguit. Præterea in hoc Documento, theſauri alicujus, qui Genti noſtræ, cum Polonis communis eſſe debeat, mentionem fieri, vulgo perhibetur, quod non ſolum cum veritate pugnat, verum & in iis, quæ de *Reciproca Sponſione* hodie proſtant exempla, haud legitur. Unde non abſone concluderes, aut, quod in Comitiis Petricovienſibus, Prutenis exhibitum ſcriptum, Reciprocam Sponſionem haud fuiſſe, aut, quæ in contentis deprehenditur varietas, iis patrocinari, qui olim credidere, Prutenos tempore deditionis, non peculiari ſcripto quicquam ſpopondiſſe, imprimis cum nullum de eodem, in Pacto Deditionis occurrat veſtigium. Digna ſunt memoratu, quæ de hac materia in Recenſione Conventus, Leſſenii menſe Auguſto a. 1572. habiti, reperiuntur. Caſtellanus Gedanenſis, Johannes Koſtka, præter alia argumen-



Digitized by Google

ta, ex *Reciproca Sponſione* evincere laborabat, tempore, quod tum inciderat, Interregni, Prutenos, ſi quando urgeret neceſſitas, obligari, Polonis ultra Patriæ fines auxilio adeſſe. Reſpondebat ad ſingula, Gedanenſium Præ-Conſul, D. Georgius Kleſeltus, ipſamq; *Reciprocam Sponſionem* ſequentibus impugnabat. „ Quod *Reciprocam Sponſionem* attinet, cujus mentio a Domino Caſtellano facta, „ eandem ignoramus. Palatinum Mariæburgenſem (Achatium Zemam ſeniorem) piæ memoriæ, qui inter publica negotia conſenuit, iisdemque Juvenis adhibitus, ſæpe dixiſſe memini, ſe „ nunquam ne quidem fando de Reciproca Sponſione quid accepiſſe. Licet vulgo ajant, multa, „ ſeptuaginta ſcilicet, appenſa eſſe ſigilla, non tamen credo eadem quemquam inſpexiſſe. Cera, „ capſulæq; quidem memorantur, num autem ſigilla impreſſa, multus dubito, praeter id, quod „ de Sigillo Bayſenii olim narratum ſcio, qui mandati limites exceſſit, adeo ut cæteri ejusdem exemplum ſequi, haud auſi fuerint. Id certiſſimum, in Pacto deditionis, de hac reciproca „ ſponſione nihil memorari, cum tamen rationi „ & receptæ ubiq; conſuetudini conveniat, ut, ſi „ ſpeciales ſponſiones intercedant, earum mentio „ in pacto generali fiat „. Caſtellanus, quæ contra *Reciprocam Sponſionem* allata erant, haud confutare

futare auſus, conjecturis ſententiam ſuam ſuffulcire conabatur. Putabat enim, credibile eſſe, Pruſſiam tantis immunitatibus decoratam, viciſſim quædam ſpopondiſſe, quo conſtaret, quid Provinciæ Regno Poloniae deberet. Eximebat hunc ſcrupulum Prae-Conſul Gedanenſis, ſcilicet, abunde in Deditionis Pacto expreſſum, quae Provinciae incumberent, quae ſecus: „adhaec D. Caſi„mirum haud quicquam praeter ſubjectionem a „Prutenis poſtulaſſe, quoniam certa pax, quae, „quoad in vicinia agerent Equites Mariani, haud „ſperanda, inter ſumma emolumenta ponebatur. „Nec minus Paciscentium animum reſpiciendum; „cum vero Majores, expeditionibus bellicis extra „Patriam gravatos, excuſſo jugo, in libertatem ſe „aſſeruerint, quis crederet, eosdem delato in Re„gem Poloniae imperio, aeqvo animo laturos „onus, qvod ab antiquis Dominis imponi ſibi ae„gre paſſi ſunt„? Has Prae-Conſulis rationes, cum nemo, quod ſciam, confutaverit, multo minus Reciprocae Sponſionis antographum exhibuerit, jam dictis, aliquid addere, ſupervacaneum duco. Id ſaltim noto, *Reciprocam Sponſionem*, quae *Privilegiis Municipalibus* inſerta, Thorunii feria ſecunda poſt Dominicam Palmarum datam legi: cum contra *Dlugoſſus*, Polonus Scriptor, memoret, Oratores ex Pruſſia, ſtatim, ſuſcepto a D.

Caſimiro Imperio, conſcriptoq; Pacto Deditionis, *Reciprocam Sponſionem* obtuliſſe. At ſcimus, Legatos Die Lunae ante Cathedram Petri Cracoviam veniſſe, die 23. Februarii primum a Rege auditos, traditoq; die 6. Martii iis Deditionis Pacto, paucis poſt Feſtum Annunciationis Mariae diebus domum profectos eſſe. Unde colligitur, male, qvæ de oblata *Reciproca Sponſione* narrat Dlogoſſus, cum die, qui eidem in *Municipalibus Privilegiis*, adſcriptus, convenire. MÆCENAS meus, Teſtis oculatus, certum me reddidit, in *Bornbachio*, qui gentis noſtrae Chronographus rarior, manuſcriptus aſſervatur, ad an. 1454. Inſtrumento Reciprocae Sponſionis alium plane praemitti Ingreſſum, ac in caeteris exemplis deprehenditur, qvam diverſitatem haud facile conciliaveris.

## §. XLVII.

*De Ordinum conſenſu qui ad pangendam pacem requiritur.*

Conſentaneum eſt, ut, quorum conſenſus ad indicendum bellum requiritur, pariter, ſi pangenda pax, aut de induciis conveniendum adhibeantur. Nec minus hoc in Pruſſia noſtra obſervatum fuit. Cum a. 1463. Nuncius Apoſtolicus, bellum, quod hactenus inter Poloniæ Regem Ordinemq; Teutonicum geſtum, componere ſtuderet, indictus Breſtiam Conventus, vocatiq; Pruteni, qui Legatos eo mittere haud neglexere, ne

quid

quid in Reipublicæ detrimentum conſtitueretur. Eodem anno eandem operam, præter alias civitates, Lubecenſes obtulere, quod Comitiis, quæ Petricoviæ habita, anſam dedit. Accerſiti huc Pruteni, quorum conſiliis debetur, quod Lubecenſium ſtudium gratum acceptumq; fuerit. Præſulem Varmienſem, ut Marianorum Equitum partes deſereret, ſoli Provinciæ Ordines permovere, ac primum cum ipſo de armiſtitio, poſtea Elbingæ de perpetua pace convenerunt, quam Rex ratam habuit: & cum, quo minus omnia conficerentur, quædam obſtarent, Rex negotium octo Proceribus, quorum duo Senatores Poloni (*), cæteri ex Pruſſiæ Conſilio erant, commiſit. Nec pax cum Crucigeris a. 1466. Thorunii, ſine utriusq; Gentis Ordinibus coaluit, illorumque conſenſui debetur, quod bello tredecennali finis tandem impoſitus. Ex Hiſtoria patet, Equites Teutonicos, poſt aliquot annorum intervallum, pacem rumpere laboraſſe, Summosq; Magiſtros, in Regis Poloniae verba jurare detrectaſſe: ventum inde, imperante Sigismundo I. ad arma, quæ factis, Ordinum Conſilio, induciis quievere. Regni Senatores, qui ſimul adhibebantur, monuere, „ Pruteni, ut hac „vice, ita impoſterum, de rebus, quæ obvenirent,

 cum

(*) Id æquum erat, quoniam bellum, quod tum gerebatur, præter Pruſſiam, Poloniam quoq; reſpiciebat.

Digitized by Google

„cum Polonis in commune conſultarent, & quid „facto opus junctis ſuffragiis definirent„. Verum a Prutenis reſponſum: „ſi quando de reſtituen„da tranquillitate aut defendenda ab hoſtium ar„mis Provincia actum, nihil ſe inſcio Senatn Po„lonico, conſtituiſſe. quoniam Patriæ defenſio, „Regiæ Majeſtati Regnoq; maximam partem in„cumberet - - - at de rebus quæ ſolam „Provinciam concernerent, Regia Majeſtas cum „Prutenico Conſilio, Senatoribus haud accerſitis, „conſultaret, id avitos velle mores, id Privilegia „exigere, ſcilicet *cauſas notabiles, cum communi Con„ſiliariorum ſpiritualium & ſecularium, Nobilium & „Civitatum majorum Terrarum Pruſſiæ, terminan„das, tractandas, & definiendas*„ (†). Dictæ induciæ poſtea, adhibitis in Conſilium Ordinibus, in perennem pacem converſæ fuere.

## §. XLVIII.

*Nec poteſtatem Legislatoriam ſine Jis Reges unquam exercuere.*

Merito ad Regalia Poteſtas Legislatoria refertur. Equidem ſua Jura habebant Pruſſi, cum Regis Poloniæ Imperio accederent, Ipſeq; Caſimirus in Pacto Deditionis teſtatur, *quod, cum Terræ ipſæ & homines ipſas incolentes hactenus variis legibus ſive juribus, videlicet Magdeburgenſi & Culmenſi, Polonicali hæreditario & Prutenico, in decidendis*

(†) Vid. Schutz. L. X. f. 478.

*dendis quibusvis eorum Quæſtionibus & adminiſtratione Juſtitiæ uterentur, etiam illis ſub ſuo Principatu & Regimine velit firmum eſſe & perenne: ea licentia attributa, ut liceret cuicunque de uno jure in aliud, ſine tamen aliorum præjudicio, quo voluerit transmigrare.* Nihilominus ſequentia tempora docent, aut abrogare antiquas leges, aut novis illuſtrare eaſdem ſtatutis, opus interdum fuiſſe: neutrum tamen ſine Ordinum conſenſu factum, meminimus. Cum anno 1476. Majores noſtri incommoda, quæ ex uſu diverſorum Jurium oriuntur, ſentirent, a Regia Majeſtate impetrarunt, ut, cæteris ſublatis, ſolum Jus Culmenſe, novo diplomate roboraretur, iis tamen tacite exceptis, qui hactenus ad Normam Legum Lubecenſium lites judicare conſveverant. An. 1526. in Conventu Gedani inſtituto, Rege præſente, Conſtitutiones nonnullae conſcriptae, quæ non ſolum varia in Civitatum præjudicium complectebantur, verum etiam ipſis inſciis ſcitæ erant; licet in earundem ingreſſu, *cum conſenſu omnium Conſiliariorum & Nunciorum Communitatis tam militaris quam etiam Civilis ordinis* latæ memorentur. Haec cauſa, cur civitates majores interceſſerint, peculiareſque ut vocant, *exceptiones*, cæteris Ordinibus exhibuerint, in quibus præter alia, ajunt, „fore, ut qui ex Equeſtri Ordine conſi-

„conſilium conſtituunt; inferiorq; Nobilitas bene „recordentur, quid Civitates moverit, quod, cum „de condendis novis legibus ageretur, ſe publico „Conſilio ſubducerent, qvodque easdem, Civita„tum Conſenſu haud requiſito, ſola Nobilitas ra„tas habuerit. Hoc Regia Majeſtas, *pergunt*, cum „iis qui Ei a Conſiliis, haud diffitebuntur, nec „quisquam credimus pugnabit, tres majores Ci„vitates, juxta Prælatos, Palatinos, Caſtellanos, „& Succamerarios unum perpetuo conſtituiſſe „Conſilium, cum qvorum communi conſenſu, ſi „quid in receptis Juribus immutandum, id fieri „oporteret„ (*). Quomodo dictae Conſtitutiones in Conventu Thorunenſi a. 1537. reviſae, ac diſceptatio, qvae hactenus inter Nobilitatem Civitatesq; viguerat, ſopita fuerit, Annales ad annum 1537. recenſent. Tempore Sigismundi I. Jus Culmenſe in eam deſvetudinem abiiſſe videbatur„ veteraq; exempla tam raro occurrebant, ut illud ad recentiores mores corrigere, & qvo in omnium manibus eſſet, Typis exſcribere, neceſſum judicaretur. Curam hanc nonnullis Legum peritis, in ſancitis Gedani legibus, memoratus Rex mandaverat; cui majores civitates obloquebantur, allegantes, „Jus Culmenſe emendare, eorum

(*) Vid. Documenta Tomo I. Annalium noſtrorum juncta p. 36.

„rum eſſe munus, qui publico Conſilio interſint, „hos enim, præ cæteris, ſcire, quid legis inſtar „obſervandum ſit„. Hoc fini Sigismundus & qvi ipſum excepere Reges, congregatis in Conventu Ordinibus, toties Reviſionem Juris Culmenſis commendarunt. Hi de perficiendo opere ſæpe conſultarunt, nominatis, quæ manum admoverent, perſonis, indictisq; aliquoties peculiaribus conventibus: at res intra verba & conatus ſtetit. Habes cauſam qvare Nobilitas peculiare ſibi Jus, Terreſtre vocant, collegerit, civitates vero, non uno, ſic dicto reviſo, Jure Culmenſi utantur; de quo fuſius ſuo tempore in Annalibus agetur. Quod reliqvum eſt, ſancita in Conventibus placita, Regiq; ut probaret, transmiſſa, paſſim in Hiſtoria deprehenduntur.

## §. XLIX.

*De Inſtantiis Appellationum.*

Legibus, inſtantiæ Appellationum, non infima Proceſſus indiciarii pars, jungi ſolent. Qvid antiquitus obtinuerit, Caſparus Schützius (*) memorat: „ſcilicet indultu Eqvitum Teutonicorum factum, quod univerſa Provincia & ſingulæ civitates Jure Culmenſi, ceu perpetua lege „uterentur, illudq; Regem Caſimirum Ejusque „Succeſſores ratum habuiſſe: in eodem Jure Cul- men-



(*) L. X. f. 445.

„menſi haberi, quod ſi inter cives jure ageretur, „quorum altera pars ſuperior deceſſerat, alteri, „quæ cauſa cecidiſſet, depoſitis in Judicio primæ „inſtantiæ quatuordecim levioris monetæ marcis, „licuiſſe ad Scabinatum Culmenſem provocare, „qvod vero ab illo decretum, ſine ulteriori Sum„mi Imperantis cognitione, in rem tranſiiſſe judi„catam, ac executioni demandatum fuiſſe. Cum „vero, non una, ſuperiori bello, accepta cla„de, Culmenſis civitas in ruinam vergeret, & ſub„lato Scabinatu ſententia definitiva ibidem exſpi„raſſet, ex hoc tempore penes cujuslibet civitatis „Senatum, ultimam cognitionem ſtetiſſe, niſi qvod „interdum ad Publicum Pruſſiæ Conſilium pro„vocatum: hanc conſvetudinem D. Caſimirum „confirmaſſe, ut nimirum, cum actor reusq; litem „conteſtati fuerint, & competenti Iudici ſe ſubmiſe„rint, in ejus ſententia definitiva acqvieſcerent, nec „aliud Iudicium circumſpicerent „. Imperante Sigismundo I, prima vice, ad aulam Regiam appellatum, Johanne Flachsbindero, Regio tum temporis Notario, in cauſa hæreditatis a ſententia Senatus Gedanenſis ad Tribunal Regium provocante. Novitati a Pruſſiæ Ordinibus occurſum, miſſisq; Legatis ſupplicatum, nollet Regia Majeſtas, avitis Juribus, quibus integris, Regno Poloniæ acceſſerant, qvicqvam derogare. Ad Iteratas preces reſpondit Rex,

ſerva-

Digitized by Google

„ſervatum iri antiqvam conſvetudinem, donec Ip-
„ſe in Pruſſiam veniret & quid deinceps futurum,
„definiret, qvod ſi interea ad aulam appellatum
„fuerit, ſe partes provocantes ad Iudicem a qvo
„remiſſurum, nec ulla de cauſa cogniturum „ (†).
In Conſtitutionibus, Gedani a. 1526. latis, ſancitum,
ut a Judiciis terreſtribus ad publicum Conventum,
& ab hoc ad Regiam aulam Appellationes fierent,
qvod a. 1537. recenſitis in conventu Thorunenſi
Conſtitutionibus, repetitum. De Civitatibus, ut
iidem provocationum gradus fiant, in peculiari
articulo præſcriptum eſt: quod anno 1542. immutari
cœpit, datumq; Ordinum precibus, *ut ex Civitatibus majoribus recte ad Regium Tribunal Appellatio fieret: in minoribus vero Civitatibus prima inſtantia eſſet apud Judicium Civile, a quo, ſi æſtimatio litis non excedat pretium aut valorem quinquaginta marcarum Prutenicalium levis monetae, poſſet fieri Appellatio ad Capitaneos & Praefectos locorum, & ibi eſſet ſecunda inſtantia, a qvibus, (ſi cui liberet), fieret Appellatio ad Regium Tribunal: ubi vero valorem qvinqvaginta marcarum exceſſerit, fieret Appellatio a Iudicio Civili ad Dominos Conſiliarios harum Terrarum, ut apud eos tunc eſſet ſecunda inſtantia, a qvibus appellaretur recta ad Tri-*



(†) Schützius l. c.

*Tribunal Regium* (*). Sub Stephani Imperio facta inter Nobilitatem Civitatesq; ſciſſio, cum prior ordo Petricovienſi Tribunali ſponte ſe ſubmitteret, hæ vere conſvetum morem retinerent. Quando in contexendis Annalibus ad ea tempora ventum fuerit, novam provocationis faciem libero egreſſu memorabo. Antequam id fiat, Lectores, ad ſcriptum, quod quatuor ab hinc annis ſub Titulo: *Immunitas Civitatum Pruſſiae a Jurisdictione Judiciorum Tribunalitiorum Regni Poloniæ*, prodiit, remitto, cui ſententiam Mariaeburgenſis, Palatini, ex Conventu ad feſtum D. Stanislai 1585. celebrato, ſubjungo (†): nempe, „de iis „quæ modo agantur nihil ſe poſſe aſſerere, præ„ter id, quod omnis mutatio ſit periculoſa: & „quod, dum lites Judicio Tribunalitio ſummit„tantur, ſvetae hactenus inſtantiæ tollantur, cæ„teraq; multo Majorum ſtudio parta commoda „pereant. Video, *pergebat Palatinus*, rem eſſe „plenam aleæ, in eos, qui Jurium haud periti, „poteſtatem immutandi conferre, quod a Præla„tis, Palatinis cæterisq; Pruſſiæ Proceribus, ad Nor„mam legum decretum eſt. Haud ſcirem quemqvam

(*) Quae de Appellationibus extra Provinciam dixi, cauſas Civiles reſpiciunt. Criminales in Provincia definitive dijudicatæ fuere.

(†) Fabianus Zema.

Digitized by Google

„ quam ex Palatinatu meo litteris navaſſe ope-
„ ram, aut, ut filii operam navarent, curaſſe, quo
„ litibus dijudicandis apti redderentur. Equidem
„ Regiæ Majeſtati gratiæ habendæ, qvoniam id
„ qvod Reipublicæ ſalutare viſum, intenderit: at
„ cauſas extra Provinciam evocare, haud leve diſ-
„ crimen ſecum trahere video, imprimis ſi ad Tri-
„ bunal confugiendum, legibus incertis, neque
„ præſcripta Proceſſus norma, ad qvam litiganti-
„ bus jus dici oporteat: nec rationem video qva-
„ re cauſæ ad Polonicum Tribunal trahendæ, ſve-
„ tusq; Inſtantiarum ordo deſerendus, non enim
„ in Tribunali ſedentes deprehendo Zamoyskios,
„ Firlejos, Tarnovios aut Tilizios, neq; Schurffi-
„ os, Ulpianos, aliosve magni nominis Juriscon-
„ ſultos, auctor ſum ergo, ne ſine anchora in Ocea-
„ no navigare audeamus „.

## §. L.

In conferendis dignitatibus muneribusq; publicis integra videtur Regi poteſtas relicta, verum ſi memineris, ex præſcripto *Pacti Deditionis* ſolos Indigenas iisdem admovendos, conſtabit, neq; in hoc pro lubitu Regiam Majeſtatem agere poſſe. Fidem, quam ſupra dedi, liberaturus, de Jure Indigenatus Prutenici jam uberius agam. Miror nulli Privilegio, ac huic de Indigenatu toties

*Quid in conferendis dignitatibus ratione Juris Indigenatus, obſervari fas ſit.*

contraventum, cum tamen quæ de eo in Pacto Deditionis extant verba, tam perſpicua ſint, ut nullo commentario egeant, ipſiq; adeo Poloni incaſſum ſibi perſvaſerint, poſſe injuriam rationibus defendi. *Item*, inquit in Pacto Deditionis D. Caſimirus, (Prutenos) *hac etiam proſeqvemur praerogativa, qvod dignitates & officia hactenus illic conſiſtentia & impoſterum conſtituenda: item Caſtra & Tenutas Civitatum & locorum in terris praedictis, nulli extraneo aut forenſi ſed proprio Indigenae, juxta obſervantiam aliarum Terrarum Regni noſtri conferemus*, In ipſo tractationis limine, Lectores velim, notent, Populum qui Pruſſiam tempore Deditionis incolebat, ex Germania ſub Crucigerorum imperio ſenſim immigraſſe, ipſosque qui ſupererant Aborigenes, præ illo exigui numeri, ac ob paupertatem nullius auctoritatis fuiſſe. Noſtrates igitur, lingva, moribus, vivendi ratione, legibus, cætera omitto, Germanos referebant, ipſaq; forma Regiminis, aliquantum ad eam, quae in Germania obtinet, compoſita erat. Sublato Crucigerorum Imperio, manſit, qui hactenus fuerat, Populus, cui tam parum cum Polonis, licet Poloniæ Regi, jam pareret, ac hodie Germanis, cum Polona natione, conveniebat. In Pruſſia olim natum Polono confundere, idem fuiſſet, ac ſi

qvis

quis noſtra ætate, Germanum, Polonum nominaret. Id præterea certum, Poruſſos etiam ſub Regis Poloniæ Imperio, peculiarem liberamq; gentem eſſe voluiſſe, quod haud fieri poterat, ſi dignitates muneraq; publica extra Provinciam natis, cederent, hi enim cum novas conſvetudines inducant, ad genium ſuum formam Regiminis invertere ſtudent. Et quæ cauſa, cur, exutis antiquis Patriæ moribus, Polonorum conſuetudines in Pruſſia invaluerint, niſi quod Capitaniatibus aliisq; dignitatibus in Polonos collatis, multis eorum, ut in Provincia noſtra domicilium figerent, anſa data fuerit? Notatu haud indignum, ſi quando Sigismundi I. tempore, Regius Orator, ob ignorantiam lingvæ Teutonicæ, Regia mandata, Polonico idiomate expoſuerit, interprete, qui ea patrio ſermone repeteret, ſecundi ordinis *Status*, opus habuiſſe: at poſt Stephani obitum, eo jam deventum erat, ut, cum recens electi Regis Sigismundi III. Legati, quæ ſibi commiſſa, in Conventu Redenſi a. 1587. germanice recitarent, Episcopus Culmenſis, Præſes eo tempore, quod potior Nunciorum Terreſtrium pars, patriam ſermonem haud calleret, quæ dicta erant, polonice reddere neceſſum habuerit. Non accidiſſent hæ mutationes, ſi ſub Sereniſſimorum Poloniæ Regum Imperio, ſoli

ſoli Inidigenae Provinciam noſtram rexiſſent. Singularem hanc eſſe prærogativam ultro largior, at ipſe Caſimirus ſpondet Se *hac prærogativa* Prutenos *proſecuturum.*

§. LI.

*Voces Indigena & Extranei ad normam Legum definiuntur.*

Hæc modo dicta, ſi quis expendat, nec ſtudio partium, ſe a veritatis tramite abripi patiatur, haud operoſe definiet, qui Pruſſiae indigena, qui itidem extraneus aut forenſis dicatur. Hoc cum ab adverſariis neglectum, anſam arripuere, veritatem impugnandi, quo moti noſtrates, verba Privilegii perſpicua licet, majori luce donarunt. Audiamus libertatis vindices, quos ii excipient, qui in eandem tela ſua acuere. In Comitiis Coronationis Sigismundi Auguſti, Anno 1530. qui ex Pruſſia aderant Conſiliarii, uno ore teſtabantur: *Praedeceſſores, Indigenas non alios ſemper, ac hactenus, opinatos eſſe, niſi eos, qvi in Pruſſiae Terris nati & poſſeſſionati ſunt, nec unqvam in aliis terris aliqva officia, dignitates aut poſſeſſiones habentes.* Poſtremum & iis, qui in Juribus noſtris caeteroquin verſati audiunt, peregrinum videbitur: hoc ut ut ſit, nihilominus in ſcopum Majorum noſtrorum apte quadrat, qui eo omnem intenderunt operam, ne Polonica negotia

Prute-

Prutenicis miſcerentur. Putabant, non poſſe Regni Provinciæq; noſtræ dignitates in unum conferri, nec Poloniæ commoda, ac Pruſſiæ Immunitates pari ſtudio curari, quod utrumq; pugnare ſæpe videretur. Ad annum 1528. notatum eſt, Dzialinium quendam, creatum a Rege Caſtellanum Culmenſem, non in Conſilium publicum admiſſum, anteqvam ſe Succamerariatu Dobrinenſi abdicaſſet. Non id poſteriori tempore obſervatum, ſed plurima occurrunt exempla, Conſiliariorum tum Eccleſiaſtici tum Civilis Ordinis, nec non inferiorum *Dignitariorum*, qui eodem tempore in Regno munia obierunt. Quæ autem inde, in Rempublicam noſtram commoda ſive incommoda redundarint, qui in rebus Patriæ haud hoſpites ſunt, definient. Licet ergo tertium Reqviſitum admovendi publicis dignitatibns Indigenae negligi coeptum, nihilominus primum ſecundumque ſummo Zelo ob Ordinibus propugnatum eſt. Cum igitur Sigismundus I. vellet, ut is haberetur Indigena, qvi ſub ejus Imperio, in qvacunq; id eſſet Provincia, bona *terreſtria* poſſideret; monuere noſtrates, mitteret Rex ignotam hactenus interpretationem, qua omne inter peregrinum indigenamque tolleretur diſcrimen. Pertinet huc, quod in mandatis, quæ ſuis ad Conventum Thorunenſem a. 1537. dedere Gedanenſes, invenio.

„Voculam, ſcilicet, Indigenæ, a plerisque in eum „ſenſum torqueri, quaſi is, qui ſub eodem Princi„pe natus, denotaretur. At pugnare Etymolo„giam nominis; primam enim radicem eſſe ver„bum gigno, inde indigenam deſcendere, *qui non* „*aleunde in aliquam patriam venit, ſed ibi natus eſt,* „*qvaſi inde genitus.* Igitur, immunitatem hanc „quæ ſolis in Pruſſia genitis competit, iniqvæ in„terpretationis titulo, neqvaqvam ad Regnicolas „extendi poſſe, quoniam Privilegium, ipſiusqve „vocis natura adverſetur. *Conditorem* etenim „*Privilegii, ad majorem demonſtrationem,* ſe eos, qui „ex alia gente oriundi, removere velle, ſapienter „dixiſſe *proprio indigenæ*, quod dictam interpre„tationem haud admittat. Proprio, quaſi gente „ac origine inde genitus, *qvod enim prope eſt,* „*hoc maxime proprium eſſe dici.* Nulla ergo rati„one, id Polono *proprium* eſſe poſſe, quod origi„ne, lingva, *ſitu loci, cœlo*, legibus, privilegiisq; „ab eodem ſeparatum &c.„ In Comitiis Petricoviæ a. 1548. habitis, ſupplicabant Pruſſiæ Ordines, dignaretur Rex Sigismundus Auguſtus, juxta alia, & Indigenatus Privilegium roborare, *cum hac,* ut loquebantur, *expreſſa declaratione: qvod verus & proprius Terrarum illarum Indigena, is tantum habeatur, qvi ex parentibus in Pruſſia, & nusqvam alibi continuum domicilium, ac bona propria haben-*

*habentibus ac jure & judicio ipſarum terrarum fruentibus & ſubjectis, in ipſa Pruſſia, ex legitimo thoro ſit ſusceptus & alitus. Qua Declaratione Majeſtas veſtra efficiet, ut omnes argutiae & cavillationes in hac verbi Indigenæ interpretatione evitentur.* A. 1579. quæſtionem, num is, qui in Pruſſia domicilium fixerit, bonaq; *terreſtria* poſſideat, Indigena habendus, hoc modo deciſam invenio. „Nimirum, Jura ſcripta magnam inter utrumque „conſtituere differentiam, in Provincia natos e„ducatosq; Indigenas, quaſi inde genitos, cæte„ros vero, qui modo domicilium ſuum habeant „provinciales appellari, hos cum cæteris habita„re quidem, bonaq; *terreſtria* poſſidere, at publi„cis muneribus admoveri haud poſſe. Et licet „Poloni obloquantur, ſe non *forenſibus* ſed *Indi„genis* accenſendos, qvod ſub eodem Principe, „in Regno, cui Pruſſia *incorporata* nati educatiq; „nihilominus miſſis verborum apicibus, rem ipſam „loqui, pacta ſcilicet quæ de indigenatu agunt, cum „Polonis inita, qui eo ipſo extranei habendi, quod „ſe in Privilegio Incorporationis, hoc nomine in„digitarunt„. In Comitiis Varſaviæ, memorato modo anno habitis, nonnulli Conſiliariorum, a recepto hactenus vocis Indigenæ ſenſu, recedere proni erant, orabantq; Regiam Majeſtatem, *ut*, quo aliquando finis querelarum fieret, *is in*

 *terris*

*terris Pruſſiæ Indigena cenſeretur qui quindecim continuos annos, poſſeſſionem veram, propriam & ſuam, non fictam nec imaginariam certorum bonorum, obtineret.* Aſt quoniam neq; majorum civitatum ablegati, neque ii qui domi remanſerant, conſenſiſſent, id quod paucis placuerat, totius Provinciæ Decretum haberi nequibat: ſiquidem ex Conventu qui proxime Culmæ agebatur, nomine omnium Ordinum ad Regem perſcriptum: *Cum eadem de re, graviſſima nimirum, nec communis conſenſus eſſet, nec eſſe deberet, humillime petere Ordines, ut ipſa Privilegia potius ſarta tecta habeantur, quam moderatione periculoſa infringantur. Nec arbitrari, ſe in extremis propterea perſiſtere, quod Privilegiis, Majorum ſangvine partis, conſtanter innitantur, quae ut Regia Majeſtas, ſublatis difficultatibus, & abolitis, quae in contrarium irrepſerint, praejudiciis, ſalva & integra his terris conſervet, divino & humano Jure eſſe obligatam.*

## §. LII.

*In ſubſidium vocantur Regum Poloniæ Teſtimonia.*

Ut ut ergo Sereniſſimi Reges, urgentibus Regni Senatoribus, genuinum vocis Indigenæ ſenſum interdum invertere voluerint, maximam partem Prutenorum ſententiæ ſubſcribere viſi ſunt. D. Caſimirus, bene memor eorum, quae Noſtratibus, conceſſo Indigenatus Privilegio, largitus, cum

ſuſce-

ſuſcepto Regimine, nonnullas in Pruſſia arces, fidei Polonorum, ob majorem ſecuritatem committeret, Ordinibus a. 1454. ſcripto pollicitus(†) confecto bello, arces Pruſſiæ Indigenis reſtitutum iri. Quid Sigismundus I. cum Balinskium, gente Polonum, Caſtellanum Gedanenſem, creaſſet, caverit, in Schützio L. X. f. 461. ut & in Privil. Munic. Terrar. Pruſſ. legitur. Qui hos excepere, Reges, ſi quando, collatis in Polonos Litvanosq; Pruſſicis Dignitatibus, læſam gentis immunitatem humiliter conqueſti Ordines, ſe ad Præſcriptum legum haud egiſſe, faſſi ſunt, fidemque clementiſſime dedere, non ſe idem impoſterum commiſſuros, modo *hac vice* conniverent Proceres, admotosq; publicis muneribus extraneos, Jure Indigenatus donarent: Supervacanea hæc, ſi Sereniſſimi Reges, perpetuo credidiſſent, natos in Polonia Litvaniaque, Pruſſiae Indigenas habendos.

## § LIII.

*Allata in contrarium ſenſum Polonorum Argumenta confutantur.*

Sequuntur argumenta, quibus, accenſendos ſe Pruſſiae Indigenis, Poloni evincere ſtudent. Ad annum 1530. notatum eſt, Archi-Epiſcopum Gnesnenſem Joh. Laskonem putaſſe; quoniam „ facta cum Regno Poloniae unione, Pruteni

 cum

(†) Quod Privilegiis Municipalibus inſertum reperitur.

Digitized by Google

„ cum Polonis eidem Principi parerent, inde ſe-
„ qui, Polonos in Pruſſia, Prutenos vero in Polonia
„ indigenas habendos „. Sed fallit conſequentia, quia unionis vocabulum latius, ac decet, extenditur. Manſit Pruſsia, facta licet unione, quoad Jura, quæ ei peculiaria, ſeparata a Regno Poloniæ Provincia. Id ſolo *Incorporationis Privilegio* evinceretur, ſi nullum præter hoc exſtaret documentum. Dictum Privilegium ut Polonos minime reſpicit, ita utraq; Gens easdem immunitates ſibi arrogare nequit. Utiq; Eidem Domino parent, ſed præter hoc noſtratibus cum Regnicolis nihil fere commune. Diverſo enim modo, Rex Polonis & Prutenis, imperat: cum Unio Subjectionis ut vocatur, unionem Jurium minime involvat. Memoratæ Archi - Epiſcopi ratiocinationi alia ſubjici ſolet; ſcilicet „ cum D. Caſimirus Prutenos, omni-
„ um honorum dignitatumq; in Polonia capaces
„ reddiderit, naturalem æquitatem exigere, ut Po-
„ loni eadem in Pruſsia prærogativa gaudeant „. Reſpondeo, naturalem æquitatem id ſimpliciter haud exigere, quoniam is, cui ex ſola liberalitate ſummam argenti dono, ad antidorum ejusdem ponderis non obligatur, alias donatio non foret donatio. Voluerunt Majores noſtri, acceſsione ad Regnum Poloniæ, conditionem ſuam non deteriorem ſed lautiorem reddere. Varia in eos Caſimi-

ſimirus IV. liberaliter contulit, quo pertinet, quod Prutenos, *ad uſum, participationem omnium bonorum, jurium, libertatum & prærogativarum, qvibus Prælati, Barones & Nobiles Regni Poloniæ hactenus potiti erant, admitteret, annecteret & includeret*: cum autem laudatus Rex ad *dignitates & officia* jam *conſiſtentia & impoſterum conſtituenda* tranſit, ait, Prutenos *hac proſequemur Prærogativa* ut eadem nulli *extraneo aut forenſi, ſed proprio Indigenæ conferamus*. Ergo ex naturali illa æquitate haud quicquam in Prutenorum præjudicium deduci poterit. Anno 1579. Martinus Cromerus (†) ſingulare Scriptum in Comitiis Varſaviæ exhibuit, in quo, repetitis, quæ ex Polonorum mente dixi, addit; *Sed qvid*, verba ejus pono, *conjecturis opus eſt? Ipſa Pacti verba luce meridiana clarius loqvuntur. Sic ea habent: Dignitates & officia, &c. proprio Indigenæ juxta obſervantiam aliarum Terrarum Regni*

(†) Ipſum ex Coadjutore, Varmienſem Epiſcopum creatum, notum eſt. Quod Polonus, contradixerunt electioni Pruſſiæ Ordines, neq;, ut Præſidem Terrarum, quæ dignitas Epiſcopis Varmienſibus debetur, ageret, aut publicis intereſſet Conſiliis, paſſi ſunt. Hoc Cromerum impulit memoratum ſcriptum exhibere, at ſine fructu, cum, quoad vixit, Conventibus ſe abſtinere oportuit. Forte quis cogitaret, collato in ipſum Jure Indigenatus, facile potuiſſe tolli obſtaculum, at non credidere, qui eo tempore res Patriæ curabant, Proceres, conſcripto Indigenatus *Laudo*, fieri ex Polono Prutenum.

*Regni noſtri conferemus. Aliarum Terrarum Regni noſtri inquit; ergo inter terras Regni Poloniae Pruſſia computatur, ſicut Maſovia, Ruſſia, Podolia, major & minor Polonia, & ſecundum obſervantiam earum terrarum, non aliter, pactum illud de Indigenis intelligendum eſt. Quæ eſt autem obſervantia inter has terras de Indigenatu? ea plane, quod natus in una qualibet ex his, pro Indigena habeatur in omnibus aliis, quod ad Prælaturas, dignitates officiaq; attinet, ita ut natus in minori Polonia, Prælatus, dignitarius & officiarius, in majori, Maſovia & cæteris recte eſſe poſſit. Hoc tantum intereſt inter Eccleſiaſticas & ſeculares dignitates & Magiſtratus, ſive officia, quod ſeculares Statuti præſcripto debeant habere certa bona fixa & poſſeſſiones in ea terra, in qua obtinere volunt dignitates & Magiſtratus, Eccleſiaſtici non item; ſed Maſovus & Ruſſus poteſt eſſe Epiſcopus & Archi-Epiſcopus in majori & minori Polonia, etiamſi ibi non habeat, ubi pedem figat, & ſunt etiam nunc. Hæc igitur obſervantia Terrarum Poloniæ; ſecundum hanc debet intelligi id, quod Indigenis Pruſſiæ pacto cautum eſt.* Verum Cromerus, fallaciam, ut in ſcholis loquuntur, petitionis Principii, commiſit, aſſerendo Pruſſiam eodem modo, ac Podolia, Maſovia, &c. Poloniæ eſſe innexam; probari hæc debuiſſent, imprimis cum ipſe Cromerus,

merus, alio tempore, & loco (†) faſſus: *Pruſſiam Regiam, quamvis eodem cum Polonis Regno contineatur, peculiare tamen Conſilium publicum, peculiares leges, peculiaria Judicia & Comitia, ærariumque & belli gerendi rationem diverſam a reliqua Polonia, antiquitus habere.* Cæterum ad objectionem, *ad obſervantiam aliarum terrarum Regni noſtri* a Noſtratibus in dictis Comitiis reſponſum invenio: Nimirum, „in antiquis Polonorum Statutis legi, olim „in eos ſolum Dignitates collatas, qui in eodem, „quo eos adire volebant, Palatinatu, nati poſſeſ„ſionatiq; erant, illum ergo morem, allegata ex „Deditionis Pacto verba, reſpicere„. Præterea alios eadem interpretatos ſcio, quaſi mores in Polonia & Litvania recepti, in Pacto Deditionis indigitarentur; ſicuti enim gente Litvanus, in Polonia, aut Polonus in Litvania publicis muneribus haud admovendus, pari modo Polonum Litvanumque, ſperare quicquam ex Pruſſiæ dignitatibus non poſſe.

## §. LIV.

*Querela de læſo toties Indigenatus Privilegio.*

Hoc modo Regum noſtrorum poteſtas, in conferendis, quando vacabant, dignitatibus, coërcita, licet in Annalibus violatæ legis innumera fere proſtent exempla. Ipſe D. Caſimirus, Vinc. Kiel-



(†) De Situ Polon. & Gente Polona, L. 2.

Kielbaſſam, gente Polonum, Epiſcopum Culmenſem conſtituit, & ejus ætate Noſtrates queſti, omnes fere *Capitaneatus* a Polonis occupari (*). Non imminutæ, ſub Sereniſſimis, qui Caſimirum excepere, Regibus, querelæ, quin potius auctæ. Inde ſupplicarunt aliquando Ordines, ne ipſis inconſultis, Rex vacuas dignitates aliis traderet, quo ſua Privilegio Indigenatus ſtabiliretur auctoritas: quod tamen Ordinum precibus indulgere Reges noluerunt.

## §. LV.

*De Jure monetam cudendi.*

Rem monetariam quod attinet, in ea nihil unquam ſine Ordinum conſilio Reges definivere; imo D. Caſimirus integram iis, ad certum temporis ſpatium permiſit. Teſtatur id Deditionis Pactum: *Cum monetæ,* ait Rex, *juſtam & fidelem ligam pondusq; habentis cuſio, terram quamlibet nobilitet & fœcundet: volumus ut in quatuor locis Terrarum prædictarum, videlicet in Thorun,* Dantzig/ Elbing/ Königsberg/ *duntaxat guerra praeſenti durante, fidelis & juſta, imaginem noſtram & ſubſcriptionem tituli noſtri continens, moneta cudatur, præfatorum Prælatorum Spiritualium & ſecularium, militarium, Civium, Terrigenarum Terrarum prædictarum impenſis: Pace autem Domino ſuffragante habita*

(*) Schützius L. VIII. f. 380.

*habita, tantum in Thorun & in Gdanzk ſine Præjudicio Privilegii Thorunenſis Civitatis, noſtris Regalibus impenſis cudatur: proviſo tamen quod moneta ipſa in pondere, grano & liga debita, nullatenus imminuatur.* Pace cum Equitibus Marianus inita, Thorunium, Elbinga, ac Gedanum civitates, Regia imagine, tituloq́;, ſuis tamen inſignibus præfixis, Rex vero ſuis impenſis, ſolum Thorunii nummos cudit. A. 1467. Pruſſiæ Conſiliarii cum Magiſtri Teutonici Legatis, Elbingam venerant, de moneta ibidem acturi, quoniam nummi qui in Equitum Teutonicorum officinis cudebantur, in Pruſſia Regiæ ditionis, eo, qui illis inditus erat, valore, non recipiebantur, quod pariter, pecuniæ Pruſſiæ Regalis, in locis quæ Crucigerorum parebant imperio, obtigerat. Anno 1509. Petricoviæ cum Sigismundo I. de moneta actum, conſultumque, æquaret Rex Polonicam Prutenicamq́; pecuniam, ut illa, in Provincia noſtra ſuo valore expendi poſſet. Tredecim circiter abinde annis, Conſiliarii Pruteni, cum Regni Senatoribus de emendanda, aequandaq́; utriusq́; gentis moneta conſilia inierunt; at nihil confectum, verum res in aliquot annos integra manſit. Hoc anſam Nicolao Copernico dedit, ut nonnulla de hac materia conſcriberet, quæ Schützius Chron. L. X. f.



Digitized by Google

480. inſeruit. Æquatio Polonicæ Prutenicæq; pecuniæ demum a. 1526. Gedani ſecuta, de qua ſingularis Articulus, in *Conſtitutionibus* quæ ibidem ſancitæ, legitur. Ad quem, majores Civitates in *Exceptionibus* ſuis ſequentia notarunt: „Rem monetariam, cum maximi momenti eſſet, meruiſſe, „ut majorum civitatum nunciis in conſilium adhibitis, accuraratiori lance expenſa fuiſſet: fructu, „quem olim ſperabat, Provinciam deſtitui, quod „*marca* Prutenica, ad pondus & valorem exoticæ „pecuniæ abroganda: novum id, nec Majorum „ætate unquam auditum. Ad hoc monetam, „quæ modo in Polonia cuderetur, prutenica multo „leviorem eſſe, cum tamen ob Reipublicæ commodum, de augendo pondere cogitatum, quod „ex conſultatione in nupero Elbingenſi Conventu „habita, pateret. Qod ſi ergo, hodierna Prutenica moneta, & quæ impoſterum cudenda, cum „alia quæ levioris ponderis, ejusdem eſſet valoris, fore, ut Prutenica ſenſim periret, ſatiusque „eſſe, monetam novam haud cudere, quam pati „ut recens cuſa, non ſine gravi Reipublicæ damno „intercidat. Haud absq; ratione Majores curaſſe, ut, conceſſis ſibi hanc in rem Privilegiis, tum „in dignitatem tum in commodum Reipublicae, „peculiarem Provinciæ ſervarent monetam, au-

ctos

„ ctos inde publicos proventus, ob eamq; cauſam, „ civitates a dictis Privilegiis recedere haud poſ- „ ſe„(†). Quot deinceps in rem monetariam inſumti Conventus, quæ habita conſilia, in Annalibus ad vigeſimum ſeptimum & ſequentes ſeculi decimi ſexti annos congeſſi. Poſt aliquot annorum intervallum, cum Elbingenſes Gedanenſesq;, Regio Mandato haud morigeri, officinas monetarias claudere detrectarent, ad Regni Comitia tres majores civitates a. 1540. evocabantur; at Pruſſiae Conſiliarii Regi ſubmiſisſime in memoriam revocabant, rem monetariam ad *cauſas notabiles* pertinere, quæ cum conſilio Ordinum in Pruſſiæ conventibus, *tractandæ definiendæq;* eſſent: quo motus Rex, rem ad proxime futurum conventum remiſit.

## §. LVI.

*Jure vectigalia exigendi, Suo, Sereniſſimorumq; Succeſſorum, nomine ſponte ceſſit D. Caſimirus.*

Poteſtate vectigalia inſtituendi, D. Caſimirus ſponte ceſſit, ſpondendo in Pacto Deditionis, ſe *omnia telonia in aqvis & terra, nova aut antiqua obſervantia, in terris duntaxat prædictis Pruſſiæ quomodolibet conſtituta - - Regia munificentia tollere, abrogare, deponere, ac ſolutionem perpetuis temporibus, reſolvere, dimittere & relaxare, nullo unquam tempore per Se, & Succeſſores Poloniæ Reges exqua-*



(†) Vid. Documenta quæ Annalibus ſubjunximus. p. 43.

Digitized by Google

*ex quacunque cauſa aut occaſione inſtituenda aut imponenda.* Cum igitur Sigismundus Auguſtus Rex, a 1566. telonium aquaticum, Vladislaviæ hactenus pendi ſolitum, Grudentum transferret, in proxime ſequenti Conventu, unanimi Ordinum ſuffragio ſancitum, ſummo ſtudio eo allaborandum, ut vectigal Grudento removeatur. Rege licet prætexente, nihil Juribus detrahi, quippe non novum aliquod ſed antiquitus ſvetum telonium exigi, loco ſaltim, quo fraudibus occuratur, mutato; nihilominus Ordines ipſis Privilegii verbis inhærebant, bene gnari, ſummo diſcrimini illud exponi, ſi latum ungvem recederent. Quo zelo effectum, ut Rex vectigal Grudenti abrogaret. In Comitiis Varſaviæ a. 1578. habitis, refragantibus licet, qui ex Prusſia aderant, telonium aquaticum, ad album, ut vocatur, montem exigendum, conſtitutum. Moti hoc Gedanenſes ſuis ad Grudentinum, qui proxime Regni Comitia ſequebatur, Conventum Nunciis, in mandatis dedere. „Monerent ora„rentq; Provinciæ Ordines, ne paterentur Patriam „ſuis Juribus emungi, paucisſima enim reſtare, qui„bus integris gauderet. Ablegarent igitur publi„cis impenſis, qui Regiæ Majeſtati, communem „libertatem ob oculos ponerent, & quam ſub„miſisſime ſupplicarent, nollet, ipſo Privilegio oblo-

„obloquente, gravare Provinciam - - quod „ſi nulla ſperanda legatio, operam darent Nun„cii, quo quis litteris ad Regem mitteretur, qui ſi„mul Reſponſum a Regia Majeſtate referret„. Cum ergo in Conventu de novo hoc vectigali ſententiæ rogarentur, communi illud ſuffragio impugnatum eſt, dixitq;, ut cæteros omittam, Culmenſis Succammerarius Stanislaus Koſtka: „Non „ferendum telonium, nec, ſi toleraretur rationem „Deo reddi poſſe, id ſe etiam cum capitis dis„crimine libere ſentire„. Eo fini Reſponſo, quod Regio Legato dabatur, ſequentia inſerta: *Quemadmodum jam telonium illud contra manifeſtiſſima & luce meridiana clariora Privilegii verba (res in hisce terris non audita) inſtituitur - - Rogant Ordines Sacram Majeſtatem Regiam, per Deum ipſum & communem ſalutem, ut eos clementioribus tandem oculis reſpicere, & mala atqve onera hæc omnia pro clementia atq; officio ſuo Regali ab eorum cervicibus clementiſſime removere dignetur, ut ita ſine aliqva difficultate, ſine ſuſpiriis, ſine lacbrymis, ſubjectionis ſuæ debitum, Sacræ Regiæ Majeſtati humiliter & alacriter præſtare & exhibere posſint.* Provocabat Stephanus Rex ad ſcitum Comitiorum Varſavienſium, ſed Ordines Pruſſiæ, ex ſecundo, qui anno 1579. Culmae habitus eſt, Conventu, ſequen-

quentia regerebant: *Non dubitamus, quin Sacra Majeſtas Veſtra, pro ſingulari Regia ſua clementia facillime diſpiciat, nullum majus Privilegiis noſtris adferri poſſe præjudicium, quam ſi contra ea in Comitiis, nobis etiam contradicentibus, quemadmodum in hoc caſu, per noſtros in Comitiis tum præſentes, ſolenni cautione factum eſt, quidvis ſtatuatur & pronuncietur, neceſſe enim erit, ut ad eum modum uno eodemque momento, omnia noſtra Privilegia concidant & ad nihilum redigantur. Cum autem ea res noſtro inſigni cum detrimento conjuncta ſit, demiſſiſſimis precibus majorem in modum rogamus, ut Exactorem illum contra aperta & luce meridiana clariora Privilegii noſtri verba inſtitutum, revocare tandem & illud onus a cervicibus noſtris, removere clementiſſime dignetur.* Idem aliquoties repetitum, imprimis cum memorato anno, Judæus quidam, Jonas dictus, in ponte Mariæburgenſi, & alius in pago Lubeſchau quatuor a Gedanenſi civitate milliaribus, vectigal a mercibus, quæ tranſibant, exigerent. Anno 1581. Regium prodibat mandatum, quo edicebatur, ne quis obſtaculo eſſet, quominus vectigal ad album montem exigeretur, jubebanturque qui Mariæburgenſi nec Dirſchavienſi *Capitaneatibus* præerant, auxilio adeſſe, ſi quis exactori vim inferre auderet, data præterea eidem facultate, novum in terra conſtituendi vectigal,



Digitized by Google

ctigal, & prout libitum fuerit, in pagis oppidisq; locandi, qui excubarent ne quid Regiis emolumentis, quæ ex vectigali ſperarentur, decederet. Exigendo novo telonio Grudentinum commoda videbatur, dabatque Culmenſis Caſtellanus, Dulskius, Regni ac Terrarum Pruſſiæ Theſaurarius, ad Civitatem locique Capitaneum litteras, ne ſe novitati opponerent. Hæc aliaq; ſæpe Prutenis querendi anſa fuere, nec Noſtrates neglexerunt, quoties daretur occaſio, immunitatem rationibus tueri. Cæterum haud diffiteor, Regem, modo Ordines conſenſerint, & aqua & terra vectigal exigere poſſe. Occurrit exemplum anno, a facta deditione primo; placuit enim Ordinibus a. 1455. in Conventu Elbingenſi, ut vectigal, Pfund-Zoll vulgo dictum, ac cætera tributa, quæ ſub Crucigeris pendi conſueverant, per annum exigerentur. (†) Imperante Sigismundo I. Conſiliarii Prutenici Regi auctores erant, ut pro conſervandis reparandisq; Viſtulæ aggeribus, a mercibus quæ dictum fluvium defluerent, certa pecunia penderetur, quæ tamen, proſcripta vectigalis appellatione, pecunia aggeraria dici deberet.

## §. LVII.

At non ſolum poteſtate inſtituendi vectigalia D. Caſimirus ceſſit, verum etiam fidem dedit, cu- *Quod & de minuendis Provinciae, ditionibus intelligendū.*

O ratu-

(†) Schützius L. V. f. 214.

taturum ne finibus Provinciæ quid decederet, potius ut antiqi limites conſervarentur. Quæſti igitur Ordines, cum Bitovienſis Leoburgenſisq; Satrapiæ Ducibus Pomeraniæ cederent, de quo evolvendi Annales ad Annum 1526. Idem recentiori ætate factum, cum memoratæ terræ iterum extraneæ ditionis fierent.

## §. LVIII.

*Concluſio.* Ex his, quæ dixi, abunde patere ſpero, primum: Pruſſiam, ſi normam Regiminis, ad Jura, ut vocantur, *fundamentalia*, exegeris, peculiarem conſtituere Rempublicam, nihilq; cum Polonis, præter Regem, commune habere; deinde, Reges Sereniſſimos, ex præſcripto eorundem Jurium, haud quicquam, de rebus quæ Provinciam reſpiciunt, ſine Ordinum conſenſu conſtituere poſſe.

Utrumque erat demonſtrandum.